BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 1526

1000

S = 10,815

~~N 6 150.~~

209

1000

ELECTORVM

SYMBOLORVM HEROICORVM

CENTVRIA GEMINA, ENOTA-ta & enodata

SALOMONE NEVGE-bauero à Cadano.

FRANCOFVRTI

Apud Lucam Jennis Bibliopolam.

Anno M. DC. XIX.

BIBL. Z.N. IM. OSS...NSKICH
BIBL. ZN. IM.
XVII-1526-II

RODOLPHVS I. ROM.

LANDGRAVIVS ALSAT. COMES Habspurgi.



ARmatum brachium manu tenens ramum oleæ, & clauam decussatim iunctam cũ inscriptione: VTRVM LVBET. *Innuit symbolũ, Cæsarem hũc in vtrũq; paratũ fuisse, tũ ad bellum gerendum, tũ ad pacem colendam.*

Olea veteribus *pacis* hieroglyphicon. id quod colligere ẽ vel ex illorũ Impp. numismatibus, in quib. olea vbiq; fere pacis insigne visitur, *Clava* vero *virtutis imago* habebatur, & oliuę ramo circumligata tam pacis quam belli signum exhibet iis, quibus vel pacis vel belli optio offertur. Decussatio ἰσορροπίαν seu æquilibrium videtur significasse. Sic *Romani Carthaginensibus* post expugnatam cõtra fœdus ab Hannibale Saguntum *optionem belli vel pacis* obtulerũt per Legatos. Hi enim cum tergiuersari Poenos animaduerterent, nullum amplius verbum post longam concertationem cum iis fecerunt, sed qui inter eos natu grandior erat, sinum è toga factum Senatui ostendens: *Hic*, inquit, *vobis bellum pacemq; portamus, vtrum placet, sumite.* Sub hanc vocem nõ minus ferociter; *daret, vtrum vellet*, succlamatum est: Romani effuso sinu *bellum*, inquiunt, *damus.*

ADOL-

ALBERTVS I. ROM. IMP.

AVSTRIÆ, SVEVIÆ, CARINTH. &c.



TElum volatile manu tollit, quasi vibraturus appositο symbolo paræneticο: TOLLE MORAS. *Interpretatur symbolum Poeta Cordubensis:*

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.
Cui accinit illud Aſcræi.

Μήδ' ἀναβάλλεσθαι ἐς τ' ἄυριον ἐς τ' ἐνηφιν.

Et *Alexander Magnus cuidam percontanti, qua ratione tot tantasq; res breui adeo temporis ſpacio perfeciſſet: reſpondiſſe fertur.*

μηδὲν ἀναβαλλόμενος.

Telum apud Ægyptios *velocitatis* fuit hieroglyphicum. Nam belli principium ſignificaturi ſacerdotes armatum hominem fingebant, qui telum eiaculari, & ferire paratus eſſet celerrime.

HEN-

HENRICVS VII. ROM. IMP.

MES LVCELBVRGICVS.



LAncea erecta quam circumserpens voluitur cum epigraphe: LOCO ET TEMPORE. *Notat hieroglyphice bellum prudenter ac caute gerendum.* Quippe Euripideum illud habet:

αἰεὶ δ' ὁ σοφὸς ἐν πᾶσιν εὐβουλία.

Lancea fuit *belli signum* per *serpentes* insignis *prudentia* & *iustitia* figurata fuit, id quod *Saluator* noster innuit, *dum nos iubet esse prudentes, vt serpentes.* Manifesta inde symboli explicatio est, bella gerenda non inconsiderate, nec temere incipienda, sed summa cum prudentia, quæ per serpentem denotatur, longe ante veluti è specula pericula ac difficultates, quæ oriri possunt, prospicienda.

LVDO,

LVDOVICVS IMP. ROM.

MES PALATINVS RHENI, DV

Bauar.



AQuila volans duas sagittas dextro pede tenens, auisque inferius collocata, cuius collum sagitta transfixum est, cum inscriptione: TARDA DEI VIN-

DICTA

...TA. *Princeps legitimus per aquilam figuratus rebellantem inferiorem tandem vincit.* Recte Romanus ille autor: *Lento quidē gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, sed tarditatem supplicij grauitate compensat.*

Aquila vt *Regum* ac *Imperatorum*, ita &*virtutum* eorundem fuit *nota*. Docent nos numismata, quæ etiam in vulgus nota.

FRIDE-

FRIDERICVS I. ROM. IMP. GERMANIÆ, ARCHIDVX Austr. &c.



QVadrata ciſta, cui inſiſtunt claua quernea ſuprema parte, exiliori vero detruncata duo crura, quorum dextrum in medio ſectũ ſiniſtrũ, integrum

BIBL. Z.N.IM. OSSOLINSKICH

..m est cum symbolo: STAT ADHVC. *Populi basis est Rex, quod Græcanica denotat origo, cuius consilio subditi stant caduntq;.* Vel *desumtum* est symbolum *ex Propheta* Daniele, *quo haud dubie Princeps Imperij Romani quædam adhuc vult existare vestigia.*

Quadrata figura firmitas, quæ non facile concuti posset, fuit significata: *rotũda mobilitas.* inde fortunam globo insistentem finxerunt, sapientiam quadrato, iudicantes illius quidem volubilitatem, huius vero firmam sedem: *Claua quernea virtutis* ac validarum *virium* olim *signum* erat. Et imperii firmitatem sceptro ex querno ligno indicatam ex lectione bonorum auctorum constat.

CARO-

CAROLVS IV. ROM. IMP. REX GERMANIÆ, BOHEMIÆ &c.



LYNX cum inscriptione: NVLLIVS PAVET OCCVRSVM. *Hoc symbolo docetur, non tam oculis corporis, quam animi impendentia recte prouideri, vt vulgatum habet:*

Tela præuisa minus nocent.

Quod

Quod alius sic: mala meditata leuiora. *Et sententiosus ille Latinorum Philosophus*: Inexpectata plus aggrauant, nouitas adiicit calamitatibus pondus.

Lynx inter omnia animalia acutissimo visu prædita est, ideo *hominem* cum significare vellent *oculorum acie* summe *valentem*, eum lyncis imagine adumbrarunt veteres, *vt & audacem*, propter eius animositatem.

IDEM

IDEM.



DVæ manus è nubibus iunctę, tenentes caduceum, in cuius summitate corona regia, cui additur : FIDE ET CONSILIO. *In Principatu aut Republ. qualibet bene constituta vt subditorum ad parendum fides requiritur, ita in primis consilium eius, qui imperet, magistratus necessariũ est. Iustitia enim & beneficentia Principis beneuolentiã parit multitudinis: beneuolentia fidem: fides caritatem:*

*** *caritas*

caritas securitatem : securitas diuturnitatem imperij. Hinc vitarum memorabilium Græcorum autor:

ἀδὺ ἰσχυρότερον φυλακτήριον αὐδρὸς
οἷον ἀληθὴς καὶ βεβαίως εὔνοια.

Dextera fidem fuisse indicatam præter experientiam testantur scriptores. Et *Iustinus* auctor est, *Darium* animam iam agentem vnicum pignus fidei regiæ dexteram ferendum Alexandro dedisse; per illam nempe internuncium, cũ ipse coram Alexandrum alloqui non posset. Longe autem clarius *duæ manus iunctæ fidei documentum* sunt, quod in antiquis numismatibus videre licet, quæ inscriptiones has promiscue habẽt FIDES EXERCITVVM, ET FIDES ROMANORVM. *Duæ* vero *dexteræ iunctæ addito caduceo signum* sunt *felicitatis*, quo in rebus amice compositis tranquillitas quædam consequatur publica. In Hadriani numo quodam tenet ipsa Dea manu vna Imperatorem: altera caduceum cum inscriptione: FELICITAS AVG.

VENCES-

VENCESLAVS ROM. IMP. REX GERMANIÆ, BOEMIÆ &c.



NAuis mari commissa imbrique exposita tali cum inscriptione.

TEMPESTATI PARENDVM.

Cedendum fortunæ est, cũ reluctari non possis. Qui enim tẽpori paret, necessitati paret: qui ne

cessati paret: fato paret; qui fato, voluntati paret diuinæ: cui profecto repugnare velle nec tutum est, nec facile. Eleganter Phocylides.

καιρῷ λατρέυειν μήτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι.

Nauis marinis tempestatibus atque fluctibus iactata vitæ nostræ calamitates, perturbationes, atq; aduersos omnes, qui nobis eueniunt, *casus* scite *repræsentat.* Quod elegantibus hisce versibus complexus est Græcus ille Iambographus:

γλαῦχ' ὅρα. βαθὺς γὰρ ἤδη
κύμασι ταράσεται πόντος,
ἀμφὶ δ' ἄκρα γύρεον ὄρπηξ
ἵσταται νέφος, σῶμα χειμῶνος
κικάνει δ' ἐξ ἀελπτίης φόβος.

SIGIS-

SIGISMVNDVS ROM. IMP. GERMANIÆ, VNGARIÆ, BOEMIÆ &c. Rex.



ORbis coronatus appoſito hoc lemmate : NESCIT REGNARE QVI NESCIT DISSIMVLARE. *Symbolum ſeipſum declarat. Monet enim, non licere cuiquã omnia pro ſuo iure agere: ſed multa in omni vi*

ta dissimulanda, præsertim in imperio; in quo oportet secundum Græcæ historiæ autorem grauissimum καιρῷ δουλεύειν τοὺς δοκοῦντας ἄρχειν. Hoc est, Principes, priusquam aliis imperẽt, sibi moderari, & cupiditatem atque iracundiam, quo plerique omnes propensissimi, coercere, & simulare multa, quæ vident, quasi non videant, multa, quæ audiunt, quasi non audiant, quæ norunt, quasi ignorent, debent.

ALBER-

ALBERTVS II. ROM. IMP. REX GERMANIÆ, VNGARIÆ &c.



SIgnum militare à duobus geſtatur, quos haſtarũ cuſpides vtraq; ex parte includũt, omni ſpe elabẽdi pręcluſa hemiſtichio addito ſymbolico: FVGAM VICTORIA NESCIT. *Aut ominatur*

Imperator, victoriam semel partam constanter, apud se mansuram: aut certe victoriam nescire fugam, hoc est, *non nisi à perstantibus, nec terga obuertentibus parari.* Sic *Alexander magnus* ante tertium cum Dario conflictum suos Macedonas ad mascule prę-liãdum est cohortatus, ne multitudine hostium, ne corporis magnitudine, vel coloris nouitate mouerentur : *tantum* enim *meminisse iussit , cum ijsdem se tertio pugnare, nec meliores factos putarent fuga ,* cũ in aciem secum tam tristem memoriã cædium suarum, & tantum sanguinis de duobus prœliis fusi ferrent.

FRIDE

FRIDERICVS III. ROM. IMP.

REX GERMANIÆ, ARCHIDVX Austriæ &c.



MEnsa, cui liber impositus apertus, & armatum brachium, cuius manus gladium tenet erectum, capulo libro imposito, addita hac inscriptione:

HIC REGIT ILLE TVETVR. *Symbolo hoc innuisse videtur id, quod Iustinianus eius antecessor*: Imperatoriam maiestatem nõ solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam; vt vtrumq; tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari. *Liber* enim *prudentiam*, quę ex libris fidelissimis consiliariis hauritur, *denotat*: *gladius* vero *fortitudinem*: quę iuncta nihil non possunt in administrando imperio. Ita & de Romana olim monarchia.

——————— *duo sunt, quibus extulit ingẽs*
Roma caput: virtus belli & sapientia pacis.

MAXI-

MAXIMILIANVS I. ROM. IMP.
ARCHIDVX AVST. DVX Burgundiæ &c.



ROta molaris cum sex radiis, in eiusque parte superiori Imperii globus cum cruce, inferiore malum punicum cuius cauli iuncta sunt duo folia addita epigraphe: PER TOT DI-

SCRI-

SCRIMINA. *Imperiũ globo signatur, per rotam fortunam vices rerum humanarum, punici acini multitudine discriminum.* Vti & Pomponius Lætus Diocletianum Cæsarem dicere solitum scriptũ reliquit: *Nihil* esse *difficilius, quam bene imperare etiam bono cautoque Imperatori.*

Rotam constat *inconstantiæ* ac *volubilitatis* rerum quidem omnium, præcipue tamen humanarum esse *hieroglyphicum. Molaris* vero *rota* significare videtur *omnis generis ærumnas, molestias*, ac *cõtritiones*, quæ per multiplicem bonorum malorumq; vicissitudinem sunt perpetiendæ, perinde vt molis frumenti grana conteruntur. *Sex radij* repræsentant *sextuplicem hominis motum*, qui progreditur, vel retrocedit dextrorsum siniſtrorsumue.

IDEM

CAROLVS V. ROM. IMP. REX GERMANIÆ, HISP. SICILIÆ ET Archidux Auſtr.



COlumnæ Herculis mari impoſitę, & eleuata in medio earũ corona: gia cum hoc emblemate: PLVS VLTRA. *Innuit præclarũ æmulãdi ſtudiũ.* Recte enim Auguſtæ hiſtoriæ autor: *Iners eſt, qui non tanga-*

tangatur gloriæ ſtimulis: optimi mortalium altiſſima cupiunt.

Per *columnas* antiqua conſuetudine præterquam quod quædam *immotæ firmitatis*, illuſtrium factorum, *nominis & famæ celebritatis*, deuictorum hoſtium, captiuitatis &c. fuerunt *monumenta, terminus*, etiam fuit *denotatus*, quod exiguæ columnæ in terminis ponerentur. Inde *regionum* non paucarum *fines colũne* dicti; vt hæ in Hiſpania Herculis, quod eo vſque imperium certaminaq; ſua extendiſſe vetuſta fama feratur. Sic in Africa ſub monte Atlante, & in Aſia ad Euphratem fluuium Romani Imperii terminos columnas dixerunt.

IDEM.

IDEM.



RVpes cum arce, & supra hanc Zodiacus signis insignitus, in cuius circulo Sol conspicitur subscripto epigrammate: NONDVM IN AVGE. *Vult Princeps: Quemadmodum Sol in summo orbis sui fastigio tardissimè mouetur: ita Prin-*

cipis esse in altissimum Imperij culmen euecti non præcipitanter, sed cunctanter agere. Quod idem monitum sapientissimus habet Plutarchus in libro πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον. Cæterum delectatus est plurimum hic Princeps, vt & alii, similibus à Sole, Luna, reliquisque cœlestibus syderibus petitis, ad virtutes Regibus atque Principibus competentes adumbrandas.

FER-

FERDINANDVS ROMAN.
IMPER. GERMAN. VNG. BOEM. Rex, Archidux Aust.



SImulacrùm Danubii cum inscriptione : IN SPEM PRISCI HONORIS. *Boni ominis symbolum, quo mysta vsus est tum, cum vidua Ioannis Vngariæ*

Regina Isabella Transyluaniam tueri se posse desperans ex pacto cum ipso traditis ei regni insignibus iure suo cessit. Notum est, *prosopographias fluminum regiones* ipsas, quas permeant, *designare.*

IDEM

IDEM.



SPhæra aranearum telis similis, supraq; hanc aquila biceps Imperiali cum corona, & ab vna parte vexillum cum insignibus regni Vngariæ, ab altera aliud cum Boemiæ insignibus tali epigraphe: CHRISTO DVCE. *Innuit pius*

Princeps, spei suæ ancoram in CHRISTO se iecisse, in quo: tanquam portu tutissimo ab omnibus procellis atque tempestatibus, acquiescat.

Sphæra terrarum Orbem figurari nemo nescit. Indicio sunt multa numismata antiqua Imperatorum, in quibus sphæra conspicitur notans orbis imperium.

MAXI-

MAXIMILIANVS II. ROM. IMP. GERM. VNG. BOEM. Rex, Archidux Aust.



AQuila biceps stans alis expansis, corona Imperiali redimita, & ab vna parte oleæ ramus, ab altera fulmen cum inscript : ἐν καιρῷ ἑκατέρων. quod est

TEMPORE OPORTVNO VTRVMLIBET, *Indicat seueritatem paricum mansuetudine coniungi debere, vt dignitas maiestasq; imperij conseruetur. Hinc pulcrè Latinorum sententiosissimus auctor:*

Violenta imperia nemo continuit diu: Moderata durant.

Vt *Principum* summa *potestas armis* aliquibus fuit figurata: ita antiquitas nullum signum manifestius inuenire potuit, quo *Iouis* potentiam proponeret, quam *fulmen*, cum quo dextra, interdum sinistra etiam vibrato pictus scriptusque est. *Palma* verò *victoriæ ac præmij significatum* ex numis picturisque omnibus notum.

IDEM

IDEM.



EQues haſta confodiens peditem ſcuto & ſagitta armatum, ſupinumque iacentem tali addita epigraphe: SIC ALIENA. *Symbolico hoc myſta innuit, eum, qui rapit capitque aliena, deturbari ac proſterni. Id quod longa exemplorum ſerie*

ex historiis tam Græcis quam Latinis, si locus ferret, demonstrari posset. Vnum pro omnibus sit Cyrus regni Scythici cupidus, illudq; exercitu ducentorum millium inuadens à Tomyri Scytharum Regina ad internecionem fuit cæsus, vt ne nuncius quidem tantæ cladis superfuerit.

IDEM

IDEM.



AQuila insistens globo quasi funibus colligato, mordicusque anguem tenens cum Symbolo: DOMINVS PROVIDEBIT. *Christiani Imperatoris Christianum symbolum: qui, vt ostenderet, se aduersus omnes casus diuina proui-*

prouidentiæ ſcuto contectum munitumque eſſe, ſymbolo hoc vſus eſt. Eſt enim de diuina prudentia minime dubia perſuaſio certiſſimum in Principe virtutis documentum.

RODOLPHVS II. ROM. IMP. GERM. VNG. BOHEM. REX, Archidux Aust.



MEnsa quadrata sex calculis insignita, & vno super eos eleuato, cui additum: CONSENTIENTIBVS VOTIS. *Senario calculorum numero vnanimem*

nimem Principum Electorum suffragiorum consensum designare videtur; septimus enim ipsi patre adhuc vivo obtigerat.

Septenarij numeri perfectio vbique celebrata est, quæ an alicubi illustrius absoluatur, quam in designando Reipublicæ Christianæ capite, dubium est nemini. Quam autem verè responderit euentus mystæ symbolo, historiæ loquuntur.

IDEM

IDEM.



NVbes rotunda, in cuius summitate Sol, inferius aquila subuolans cum epigraphe: SALVTI PVBLICÆ. *Sol est Deus. Aquila signum Imperij & Imperatoris. Imperator pro salute publica vota Deo reddit. Principis enim munus est vnicum subditis*

ditis prospicere, publicisque consulere commodis.

Sic & ille apud Homerum:

βέλομ' ἐγὼ λάον σόν ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι. Et *Adrianus* Cæsar in Senatu frequenter dicere solebat; *Sic se gesturum Principatum, vt sciret, rem populi esse, non suam priuatam.*



IDEM.

IDEM.



SOl cum quadrigis per cęlum triumphans addito lemmate: SIC AD ASTRA. *Significatur dubio procul id, quod Tullius reliquit, nullum esse aut fuisse virum magnum sine DEO; deinde gloriam esse virtutis præmium certissimum, vt idem Orator:*

Ex omnibus præmiis virtutis amplissimum præmium est gloria, quæ vitæ breuitatem posteritatis memoria consolatur : quæ efficit, vt absentes adsimus, mortui viuamus, cuius gradibus etiam homines in cœlum videntur ascendere.

IDEM

IDEM.



NVbes obliquè rotunda, in cuius tenebrosa concauitate gladius acinaci similis erectus ad dexteram, scutumque ad sinistram, cui fera quędam, cuius collo anguis insidet & cauda serpentis in caput desinit, tali symbolo pa-

rænetico appoſito. TV NE CEDE MALIS. *Vt parma milites ſolebant excipere ictus ab hoſtibus cæſim punctimue, quibuſcunque tandem telis illatos, gladioque eoſdem ferire: ita myſta ſymbolo hoc indicat, ſe promtum paratumque eſſe ad reſiſtendum infenſiſſimo Chriſtiani nominis hoſti, cumque omnibus viribus repellendum.*

MAT-

MATTHIAS ROM. IMP. GERM. VNG. BOE. REX ARCHIDVX AVST.



AQuila insistens globo altero pede, altero sceptrum ostentans, gladio ex vna, ex altera corona appositis, supra aquilam nubes, ex aduerso Sol allucens cum inscriptione: FIRMATVM COE-

LITVS OMEN. *Ductum ex euentu symbolum, cuius interpretatio cuiuis in procliui est.* Aquilam enim in castris mysta in Vngaria Imperatore in tentoria eius deuolasse, atque ita omen eius, quem hodie videmus, euentus esse. Nam & sceptrum, & corona Imperii Romani ei cessit, cui pietas in Deum, victoria in hostes, merita in patriam vniuersam iam dudum desponderunt. Vigeat aquila isthæc Imperii Romani, sereno-que sole subiectas irradiet terras quam felicissimè & quam diutissimè.

CLO-

CLODOVEVS REX FRANCORVM.



DVæ manus in cœlum erectæ, ac instar orantis complicatæ cum inscriptione: TVTISSIMVS. *Qui manus in cœlum erigit, ac spem in Deo figit: omnium est tutißimus & beatißimus.* Deo enim confisus, nunquam confusus.

De precum efficacia inter alios elegantissimè aureum illud eloquentiæ flumen Chrysostomus: *Quemadmodum, inquit, oppidum muris nudatum facilius in hostium redigitur potestatem; eo quod non habet, qui hostem arceat: ita & hominem, à precibus non circumuallatum, facile diabolus ac diaboli ministri sternere, vincere, ac delere possunt.* At qui precibus ad Deum semper excubat, is præsidio diuino tutus; huic velut olim pio Theodosio, totus

militat æther:
Et coniurati veniunt ad classica venti.

CLO-

CLOTARIVS REX FRANCORVM.



MOlendinum, cuius rotæ ab aquis circumaguntur, hemistichio addito noematico: MENS IMMOTA MANET. *Quemadmodum molarum rotæ iugi aquarum adfluxu circumuoluuntur sine noxa tamen: ita mens Regis, quantumuis malis plu-*

rimis circumacta, similis tamen sibi semper ac immota constitit.

CHIL-

CHILDERICVS IV. REX FRANCORVM.



MAnus duæ è nubibus porrectæ, quarum vtraq; dimidium nummum Gallicum, tribus lilijs insignitum, tenet, cum symbolo gnomico: FORTVNA FIDEM MVTATA NOVAVIT. *Ominatur*

tur mysta, in pristinam se fortunã atq; regnum restitutum iri. Nam cum ei, vt refert P. Aemilius, ob infamen turpitudinis notam regno cedendum esset, atq; Guimeus suorum intimus suaderet, vt tantisper: dum se paci conficiendæ totum daret, ille in Thuringiam concederet, aureum numum bifariam diuidens, vnam ei partem porrexit, quo ea ipsa pars data oportunitate, vti promittebat, remitteretur, sua cum altera parte æquali commissura certam compositæ rei & reditus fidem ipsi Childerico faceret, quod & euenit. Neq; enim Guimeus à conciliationis incepto prius destitit, quam Gillion ciuis Romanus regni Gallici possessione, quam sibi ille adserebat, deturbaretur, restituto in pristinum Childerico. Ita mutatio fortunæ renouauit fidem Guimei.

HVGO

HVGO CAPETVS I. REX FRANCIÆ.



BRachium armatum tenens manu haſtam dimidiatam, ſymbolo ciuſmodi adnexo: LABOR VIRIS CONVENIT. *Laborem maxime vero militarem virum, aut, ſi mauis, Regem decere innuit.*

Symbolo originem præbuit Hugonis

nis regni per vim inuasio. Is enim, quod videret, Regem suum regni administratione neglecta, inertiæ ac desidiæ totum deditum, indignum ratus amplissimi regni Regem otiosum esse, aliisq; rerum curam permittere, plausibili hoc titulo: *Laborem viris conuenire*, sed verius regni impulsus cupidine armis correptis bellum ipsi intulit, ipsoq; de regno deturbato Regem se fecit. Sic Aurelius *Probus* vere probus Imperator in laboribus assiduus fuit, & in his assidue militem exercuit suum, neq; eum per otium peccare aut iniurioſe aliquid facere passus est, multa opera manu perfecit militari, subinde in ore habens illud: *Annonam gratuitam militem comedere non debere.*

LVDO-

SANCTVS LVDOVICVS VALESIVS REX FRANciæ.



MAnus complexæ caduceum, per quas interſertæ ſpicæ cum epigraphe emblematica: FELICITAS TEMPORVM. *Hieroglÿphice pax, quæ eſt maximum hominis bonum, omniumq; rerum*

copia atque vbertas, indicatur. Quod sic expressit Poeta:

Pax optima rerum,
Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem
Et ciues æquare potens:

Hæc est amabilis illa & perhumana Dea, quæ, secundum *Philemonem*, nuptias, festa, cognatos, liberos, amicos, diuitias, sanitatem, annonam, vinum, omnem denique voluptatem parit hominibus.

In caduceo *serpentes* inter se *connexi concordiæ* ac *pacis* conciliatæ *nota* sunt, quæ, quod rerum omnium copiam secum adducant, *felicitas* etiam *caduceo* mystice *significatur*: *Spicæ* vero ampli *frugum prouentus* sunt indicia.

LVDO-

LVDOVICVS X. VALESIVS
REX FRANCIÆ.



Testudo suam testam vehens adiuncto hoc symbolo: DOMI FORISQVE. *Notatur mystice regnum florens, rectèque administratum domi ciuibus saluti; hostibus foris damno esse.*

Testudine σικυρία *adumbratur*, quia

extra testæ suæ latibulum non egréditur. Hinc *Antisthenes* Athenien sibus, gloriantibus se nunquam ex solo patrio migrasse, respondit, *commune hoc habetis cum testudine & cochlea.* Quamuis *testa munimentum* etiam indicet, quo contra externas iniurias est circumdata.

IOAN-

IOANNES I. VALESIVS REX FRANCIÆ.



STella coruſcans cum corona & noemate huiuſmodi : MONSTRANT REGIBVS ASTRA VIAM. *Diuinitus vt Reges dari, ita & regna adminiſtrari, citra dubium hoc ſymbolo indicatur.* Fluxit au-

tem id ab instructione cuiusdam *Ordinis Stellatorum in Gallia* circa annum salutis humanæ millesimum trecentisimũ quinquagesimum primum à *Ioanne* Rege fundati. Signum hoc adfixum ostẽdebant eius fœderis equites toga, capitio, locove honoratiori. Verisimile est, tam honorificam stellæ celebritatem ortam fuisse à commemoratione illius ostenti syderei, quod magos ab Oriente adduxit in locum filio Dei natalem Bethlehemum.

CARO-

CAROLVS VI. VALESIVS REX FRANCIÆ.



GAlea traiecta lancea cũ epigraphe: VLTOREM VLCISCITVR VLTOR. *Prouocatus haud varo prouocantem vicit, & quod alter iniuſte minabatur, iuſte infert.*

Symbolum ſumptum ex euentu. Carolus enim VI. Gall. Rex vlturus Oliuerii Cliſſonii ſui equitum magiſtri cauſam cõtra Craonium,

expeditionem infaustam suscepit in Britannos, quod Craonianę causę patrocinarentur. Faciẽte illo iter per Cænomanorum saltum, occurrit incognitus quidam pauperis habitu, arreptumque eius equum sistit his verbis. *Ah Rex vltra ne pergito, sed potius redito: es enim à tuis venditus.* Quibus Rex ita fuit territus, vt totus expalluerit, ac de reditu cogitarit. At vero exercitus prę fecti Regem vacillantem confirmantes in cœpto itinere pergendum monuerunt. Egressos syluam sequebantur regii pueri duo, quorum hic cassidem, alter hastam militarem manu gerebat. Vno autem ex ipsis dormiente, in caput eius alterius lancea Regis decidit. Quo strepitu Rex ac spectro hominis illius ignoti perturbatus, veluti furore correptus, ense stricto suos adoritur his verbis: *agite, agite, perdite proditores.* Pueris regiis fuga dilapsis Rex fratrem suum Aureliæ Ducem ense aggreditur, qui, nisi propere fuga sibi consuluisset, de vita fuisset periclitatus. Tandem Rex equo defatigato à quodam equite sistitur, & ad Cænomanos panico terrore perculsus reducitur. Quo factum, vt expeditio inchoata cessaret, exercitusque dimitteretur. Rex vero inde toto vitæ tempore phrenesi laborauit.

CARO-

CAROLVS LE SAGE VALESIVS REX FRANCIÆ,



GLadius faciem habens humanam in manubrio expreſſam, in qua luna curua ſculpta lucem habet à ſole, qui ſupra gladium, lemmate hoc adſcripto: RECTE ET FORTITER. *Gladio*

magiſtratus tum demum recte vtitur, cum & prudenter & fortiter vtitur, memor, eam poteſtatem diuinitus ſibi conceſſam, quemadmodum & luna lucem à Sole ſuam fœneratur. *Luna* iudicata fuit *humanam naturam* referre, quod vtraque peræq; ſit mutabilis. Vt enim lunæ non ſemper eſt eadem facies; ſic etiam hominis varietati obnoxia eſt conditio. Ac veluti luna lumen habet à ſole: ita animus noſter veritatis lumine perfunditur; alias magis, alias minus, ſicuti & luna iam propius, iam longius abeſt à Sole.

LVDO-

LVDOVICVS XI. VALESIVS
REX FRANCIÆ.



HIstrix eiaculans aculeos corona supra posita cum inscriptione: VLTVS AVOS TROIÆ. *Innuitur hoc symbolo, nisi plane fallit mens, à Rege Gallos, quos Troianorum nomine insignit,*

gnit, defendi ac propugnari. Origo symboli inde. *Histrix cum lupo* erat *insigne* vetus *Blosiorum ciuitatis*, cuius ipse fuit dynasta. Visitur plerisque lapidibus ac porticibus insculptum, de quo animali Plinius sic: *Animal hoc natura tam studiose armis instruxit, vt prouocantes eminus arceat, præsertim aduersus canes aculeos suos sagittarum, violentarum instar, emittens.* Interpretatio symboli hoc disticho comprehenditur.

Spicula sunt humili pax hæc, sed bella superbo:
Et vita ex nostro vulnere nexque venit.

CARO-

CAROLVS VIII. VALESIVS
REX FRANGIÆ.



CEruus coronam ſpectans cum collari alatus, in quo inciſum ſymbolum Cæſaris adnexa epigraphe : HOC ME CÆSAR DONAVIT. *Rex venatus in ſylua Senliana ceruum, collum habentem obuinctum torque æneo deaurato cum antiqua in-*

inscriptione his verbis: HOC ME CAESAR DONAVIT, cupiensq; memorabilem hanc prædam in posteritatis cognitionem diffundere, symbolum sibi sumsit hunc ceruum. Quo forte *innuit*, aut *memoriam* se *maiorum velle conseruatam*, aut *coronam cœlitus esse deferendam* atque desiderandam.

LVDO-

LVDOVICVS XII. VALESIVS
REX FRANCIÆ.



TOrquis ordinis procerum Galliæ, ex quo pendet bulla Archangeli Michaelis, cum inscriptione: IMMENSI TREMOR OCEANI. *Insigne ordinis equitum diui Michaelis à Rege hoc instituti, anno Salutis*

supra

supra milleſimum quadrageſimum ſexageſimo nono. Torquis ſymbolum erat *virtutis, concordiæ conſtantiſq; fœderis, brabeium* etiam *præclarorum facinorum & victoriæ. Auro indicata fuit magnanimitas, ſummuſque honor. Cochlearum ſimilitudine* eorum *æqualitas* ſeu *communis fortunarum æſtimatio*, ad imitationē Romanorum Senatorum, quibus prominebāt in lacertis turgentes cochleæ. *Nexu earum* inter ſe *duplici* indicatum fuit ſociorum *fœdus indiſſolubile.* Poſtremo *Dæmonis ab Archangelo conculcati* ac proſtrati effigie *triumphus de hoſte* potentiſſimo fuit ſignificatus. Huius autem ſymboli inſtituto voluit & regni potentiam oſtendere; & hoſtibus terrorem incutere.

FRAN-

FRANCISCVS II VALESIVS REX FRANCIÆ.



AVreus numus coronatus, quem dextra ad Lydium lapidem probat tali adnexo lemmate: SIC SPECTANDA FIDES. *Aurum quippe tum tinnitu, tum attritu probatur. Eadem planè*

ratione & pietas ac fides tum in Deum, tum in homines non verbis, sed rebus maxime ac verißimè præstatur atque cognoscitur. Hinc verè Tullius: Non facile dijudicatur amor verus & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, vt quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici potest. Quam sententiam in paranetico sic expressit Græcus Rhetor: δοκιμάζε τὰς φίλας ἐκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας, καὶ ἐκ τῶν εἰς κινδύνους κοινωνίας: τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν: τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν.

CARO.

CAROLVS IX. VALESIVS
REX FRANCIÆ.



HErcules portans duas columnas, ad pedes iacentibus arcu, pharetra cum sagittis, ac duobus ramis palmæ, addita epigraphe: MAIOR ERIT HERCVLE. *Herculis pictura & exemplo pro-*

posito inflammare Regem iuuenem auliei cupiunt ad fortitudinem ac laudes bellicas, id quod & circumiacenti designatur armatura.

Duabus illis *columnis* ad fretum maris Hispanici vtrinq; collocatis, Herculis labores fuerunt terminati.

IDEM

IDEM.



CEruus, quem circumrepunt serpẽtes cũ gnomico hemistichio: NVLLIS FRAVS TVTA LATEBRIS. *Sensus huius symbolici perspicuus est, & indicatur, quemadmodum ceruos, quæ ipsorum natura est, nusquam anguis effugit: ita &*

Reges Principesue, quibus nimirum oculi multi sunt, & aures multæ, nihil non persentiscere, modo velint satagantque.

De ceruorum natura atque ingenio secretarius naturæ consulendus.

IDEM.

IDEM.



VIR coronatus fulciens vna manu duas columnas addito epigrammate: MIRA FIDES LAPSAS RELEVAT MANVS VNA COLVMNAS. *Per duas columnas religionem ac Rempublicam intelligere videtur, quæ cum ipso regnante planè essent*

collapsæ, gloriatur studio ac labore suo labantes iterum fuisse erectas.



HEN.

HENRICVS III. VALESIVS
REX FRANCIÆ.



TRes coronæ, duæ in continenti, cuius littus impetunt atq; concutiunt tempestates varię, tertia in cœlo, cum symbolico hemistichio: MANET VLTIMA COELO. *Post regna Poloniæ Galliæque*

liæque tertium cœli loco ſublimi ac ſtabili repoſitum ſibi eſſe innuit, ſimul indicans, mundi huius regna momentanea ac caduca eſſe, multosq; rerum aduerſarum tempeſtatibus obnoxia, tantum cœleſte illud ſtabile, firmum, immotumque permanere.

Ludificatus eſt quidam ſymbolum hoc diſticho:

Qui dedit ante duas, vnam abſtulit, altera nutat:
Tertia tonſoris nunc facienda manu.

Quorſum cauillo alluſum ſit, hiſtoriarum ſaltem non planè hoſpes facilè diuinauerit.

HEN-

HENRICVS IV. BORBONIVS FRANC. ET NAVAR. REX.



DVo gladij infra decussatim iuncti cum mucronibus coronatis, & circumplicatis ramis laurus & palmæ, supernè demisso pugione, circumcoruscantibus radijs & micantibus stellis cũ epigra-

epigraphe : IVS DEDIT ET DABIT VTI. *Indicat, iure se regnũ adeptum, iure etiã possessurũ. Cœlitus enim demissus pugio humi positos attingit, qui quid aliud, quam Deum armare magistratum gladio, donare corona, largirè laurum & tropæa designat?*

IDEM.

IDEM.



MAnus oculata digitis attingens obeliſcum inſignitum ſymbolo: FIDE ET VIDE. Fiduciam in Deum laudat ſymboli autor cõiunctam cum prudenti circumſpectione, cui qui fidit, ille omnia videt. *Velinuit, viris Prin-*

Principibus cumprimis esse videndum, cui fidendum, præsertim cum multi sint, qui sub amicitiæ specie sæpe fallunt. Non malè igitur Sarsinas:

Manus nostræ oculatæ sunt, credunt quod vident.

Et nostri seculi Poeta non insuauis.

Ante vide, quam fide, fide quis dignus, & inde
Elige, cui dicas: tu mihi fidus eris.
Namque vides: vt sæpe fides sit frigida, cautè
Fides ergo; vides quando, vbi, vera fides.

IDEM

IDEM:



MArs & Bellona iunctis manibus innitentes galeæ ſuper caput infantis delphino inſiſtentis: ſuperne aquila roſtro adferens coronam cum epigraphe: PROPAGO IMPERII. *Rex ſub effigie Martis, & Regina ſub imagine Bellonæ*

manibus iunctis optant simul & sperant per filium regni spem ac stirpis propaginem. Aquila enim rerum diuinitus oblatam *prosperitatem: corona regnum: Mars & Bellona pacem ac bellum* in eo ita coniungenda, vt vtriusque artibus celeberrimus sit futurus, bello nimirum debellatis hostibus pacis necessarias artes excolendas. *Delphinus & maris dominium, & celeritatem* in rebus conficiendis, & incolumitatem per ipsum subditis abuenturam. *Galea* vero cum coniunctis belli & pacis studiis fore contra vim omnem tum externam, tum intestinam munitum ac septum designat.

AL-

SANCTVS IV. REX LEGIONIS ET CASTELLÆ.



IN campo patenti eques currens cum vexillo erecto prouocat ad pugnam siue duellum cum adscriptione : QVI CVPIT. *Ferociam iam inde ab adolescentia Regem spirasse indicat symbolum, quod etiam res ipsius gestæ arguunt. Patri enim adhuc su-*

perstitit regnum Castellæ ereptum iuit: contra Mauros feliciter dimicauit: Mahometem Maurum Regem Fessæ, ex Africa in Hispaniam magna classe tendentem, nauali prælio superauit.

IOAN-

HENRICVS III. REX CA-

STELLÆ.



QVercus Soli oppoſita iuxta aquam cum inſcriptione: SEMPER EADEM. *Animi præſentia tam in lætis, quam triſtibus denotatur, qualis in Philoſopho illo, qui ſemper eodem fuit vultu. Ad quam Lyricorum Latinorũ princeps hortatur in oda quadã: Aequam*

Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem: nõ secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia.

Et Latinorum Tragicus:

Nemo confidat nimium secundis:
Nemo desperet meliora lapsis.

Quercu, propter eius duriciem, *vires validæ* fuerunt figuratæ, & quia ea vi prędita est: vt in seros vsq; annos contra tempestates omnesque cœli iniurias illæsa perduret, *diuturnitatis atq; firmitatis symbolum* existit.

IACO-

IACOBVS I. REX ARRAGONIÆ.



EQues cataphractus equitem alterum sternit epigraphe adiuncta: DVBIA FORTVNA. *Cum anceps sit fortuna belli, & dubius mars, prudentia ac virtute opus est. Hinc Satyricus;*

Nul-

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia.

Et ſi enim dubia ſit alea Martis, tamẽ Prudentia & conſilium eam vt plurimum gubernant. Cui ſuffragatur etiam Romanæ hiſtoriæ Scriptor:

Mars belli cõmunis, & nuſquã minus, quam in bello euentus reſpondet.

PETRVS

PETRVS III. REX ARRAGONIÆ PRIMVS SICILIÆ REX.



MVrex tetragona forma epigraphe hac addita: QVOCVNQVE FERAR. *Vt murex, qualitercunq;, & vbicunque cadat, aculeum semper vnum habet erectum, & ad lædendum compositum: ita Rex quocunque rerum*

rerum ſtatu ad vim illatam propulſandam notatur paratus. Vel, vt in murice ſemper vna cuſpis eminet, quomodocunq; tandem proïciatur: ita Reges ſui ſemper debent eſſe ſimiles, nec affectibus in vtramque partem nimis mancipati.

PETRVS IV. REX ARRAGONIÆ.



TErræ globus, cui corona cum sceptro imposita volante supra columba, additoque lemmate tali: TE GVBERNATORE. *Agnoscit Rex, se à Rege Regum & Domino Dominantium*

tium regnum suum, cuius sceptrum est insigne, accepisse, ideoq; eidem subijcere, eiusq; ductu velle se in medium consulendo subditorum saluti & commodis prouidere.

MAR.

MARTINVS POSTHVMVS
REX ARRAGONIÆ.



GLobus, cui insidet Rex ostentans oleæ ramum dextra, gubernaculum verò nauis læua, eiusmodi supra scripto lemmate: NON IN TENEBRIS. *Indicatur, Regis officium esse non delitescere*

domi, seque ipsum inerti ocio oblectare, alijs regni gubernatione commissa: sed clauum Reipublicæ tenere atq; regere.

IOAN-

FERDINANDVS MAGNVS REX HISPANIÆ, SICILIÆ.



QVadrata columna, cui rota septem ligamentis imposita est, huicque gladius acinaci similis eminens ex corona regia cum inscriptione: TANTO MONTA. *Innuit Rex, se motam de regno Castilæ controuersiam armis dissoluisse, & eo vs-*

que progressum, quo optarit. Cũ Mauris enim, qui partem Bœticæ (quam Granatam vocant) annos centum ac septuaginta tenuerãt, bellum gessit decennale, eosque, capto ipsorum Rege, regia regnoque vastato subegit.

PHI-

PHILIPPVS I. REX HISPANIÆ ARCHIDVX AVSTR. DVX Burgund.



CArceres haſtiludii, iuxta quorum infimam partem eques cataphractus manu haſtam cum paruo vexillo tenet, huiuſmodi epigraphe addita: QVI VOLET. *Infractus inuictuſque Principis*

cipis animus hoc scito ostentatur: vt qui ad cuiusuis congressum sit paratus. Contra degeneres animos timor arguit, *vt grauiter vatum Latinorum princeps.*

PHI-

PHILIPPVS II. REX HISPANIÆ SICILIÆ, ARCHIDVX AVSTRIÆ ET.



GLobus terreus nomina regionum inſcripta habens, & ſectus zodiaco per medium, circa quem alia ſphæra ſtellis repleta eſt ſymbolo adiecto: CVM IOVE. *Cum Ioue in imperij ſocietatem adſcitum neſcio qui Regem ſuum opinati an ominati ſunt*

ti sunt. Sumtum videtur symbolum ex euentu simili illi, de quo Maro:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Vel etiam sic: CVM IOVE, hoc est, DEI auxilio, quod Græcis σὺν θεῷ, se perfecturum ea, quæ cogitet.

IDEM.

IDEM.



MAre cum nauiculis, ad ſiniſtram montes cum ſpeculis & arboribus, ſupraq; hæc nubes, in qua Sol humana ſpecie bigis inſiſtens, tractis à quatuor equis, & circa Solis ſplendorem corona regia, lemmate hoc appoſito: IAM ILLVSTRABIT OMNIA. *Hoc ſcito*

scito mysta orbis terrarum imperium, & cum eo gloriam Orbe toto vix definiendam sibi pollicetur.

Sol præter alia, quæ denotat, *apud Persas* significabat *eum, penes quem summa esset imperij maiestas.*

IDEM.

IDEM.



COrona regia magna, cui duo sceptra decussatim transmissa cũ granato inferius posito, emblemate addito: TOT ZOPYROS. *Fidem ciuium, & qui à consilijs sibi, optat Rex ac stipulatur. Desumptum ex historia Darij Hystaspis Regis Persa-*

rum,

rum, qui cum aliquãdo manu teneret malum punicum, nil se magis optare fassus est; quam vt tot zopyros haberet: quot acinos malum. Sic & Dux ille Græcorum apud Homerum decem Nestores optat, quorũ si habeat copiam, Troiam facile expugnari posse sperat. Et Græcus ille orator ad Nicoclem: σύμβολος ἀγαθὸς χρημάτων ἢ πραγματικώτατον ἀπάντων κτημάτων ἐστίν.

IDEM.

IDEM:



GLobus terrestris, supra quem Pegasus, & supra eum nubecula cum emblemate: NON SVFFICIT ORBIS. *Magni illius Alexandri æmulum pectus, & heroicum planè propositum, qui immenso gloriæ desiderio flagrans,*

Anaxarcho comiti suo ex autoritate Democriti Præceptoris, innumerabiles esse mundos referenti. Heu me miserum, inquit, nec vno quidem adhuc sum potitus.

IDEM.

IDEM.



HErculis certamen cum virtute & voluptate, in fastigio mõtis posita arce cum hemistichio: COLIT ARDVA VIRTVS. *Hercules quomodo in diuortio constitutus fuerit, commemorat exantiquis scriptoribus orator Romanus. Symbolum autem*

 ex He-

ex Hesiodi de virtutis habitatione carminibus desumtum est:

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.

Et *Xenophon* tale de eodem figmentum refert, eum, cum primum pubesceret, exijsse in solitudinem, atque ibi sedentem diu multumque secum dubitasse, cum duas cerneret vias, vnam *voluptatis*, alteram *virtutis*, vtram ingredi præstaret: ac tandem viam virtutis prætulisse voluptati, virtuteq; duce ac magistra vsum.

IDEM

PHILIPPVS III. REX HISPANIÆ, INDIÆ ET SICILIÆ, &c.



DVo globi, alter cœlestis, alter terrestris cum eiusmodi supraſcripto ſymbolo: ET PATRI ET PATRIÆ, *Myſta horum vno, terreſtri videlicet, videtur leges ac conſuetudines patrias denotare,*

quas censet æquum esse, vt subijciantur religioni, quæ per alterum globum nempe cæleſtẽ deſignatur. Vel, *profitetur, ſe ab exilio terreſtri cœleſtem deſiderare patriam; cum omnes hic, ſiue Reges, ſiue ſubditi, exules ac peregrini viuamus.*

IOAN-

IOANNES I. REX PORTV-GALLIÆ.



SCorpio asseri impositus, superque eum cultellus dissecare eum quasi volens tali cum inscriptione: TVTISSIMA IVRES. *Depingitur hoc scito hieroglyphice versutia ac vafricies*

fricies hostium; simulq; declaratur, quænam sit optima omnium paciscendi via. Scorpius enim *doli* atque *fallaciæ signum* est. Secũdum prouerbium, ἐν παντὶ σκορπίος φρουρεῖ λίθω. *Liber conditiones legis* vel sacra. *Cauda nocendi vim. culter transactionem*, qua omnes fraudes & doli sint abscindẽdi tollendique, vt pax sarta tecta maneat.

IOAN-

IOANNES II. REX PORTVGALLIÆ.



ANguis igni impoſita, ex cuius ore linea ducitur ad ſtellam adnexo ſymbolo: QVIS SEPARABIT. *Cæleſtium cum terreſtribus conſociatio eſt intima, atque it per omnes ætheris vis partes, vt coryphæus ille*

ille Poetarum:

—— Deum namque ire per omnes
Terras q; tractusq; maris, cœlumq;
profundum.

Anguis quia toto distentus humi corpore per terram repit, pro *terræ nota* sacra vsurpari consueuit: *funiculus connexionis est signum.*

HEN-

EMANVEL REX PORTV-

GALLIÆ.



ORbis terrarum circulo circumdatus, in cuius areæ parte superiori luna ad dextram, Sol ad sinistram collocatus, & inter hos stellæ: in inferiori nauicula super aquas cum inscriptione: PRIMVS CIRCVMDEDISTI ME, *Ter-*

κατὰ προσωποποιΐαν *introducitur loquens, quasi fateatur, primos fuisse Lusitanos rerum potiente Emanuele, qui classem aliquoties in Indiam circumnauigata Africa misit, eiusque magnam obtinuit partem classe Oceanum ingressos.*

IOAN.

IOANNES III. REX PORTV-GALLIÆ.



PEtra quinque collibus constans, in qua erecta crux longa cum noemate symbolico: IN HOC SIGNO VINCES. *In cruce Christi & auxilio eiusdem nihil non possumus ac vincimus.* Signum enim crucis

(*ait quidam ex patribus*) à nobis expellit exterminatorem, si tamen cor nostrum Christum habeat inhabitatorem.

SEBAS-

SEBASTIANVS POSTHVMVS

REX PORTVGALLIÆ.



COncha marina erecta, in cuius infima parte piscis concluſus, ſupra concham vero Luna exiſtit cum ſtellis adſcripta gnoma ſymbolica: SERENIS CELSA FAVENT. *Fauſti ominis argumentũ eſt, quo cum luna augeſcente regni quoq; au-*

mentum videtur præsagire Rex iuuenis, qui dum proferre imperium vellet, vitam cum regno amisit.

Symbolum inde forte natum, quod prodente illo naturalis historiæ, scriptore acutissimo conchæ maior sit cœli societas, quã maris, inde nubilũ trahi colorem, aut pro claritate matutina, serenum: adeo enim cœlo gaudent, vt Sole rubescant, candoremq; perdant, vt corpus humanum.



CARO-

CAROLVS REX NEAPOLIS.



RVpes sciſſa ſerra, ſupra cuius cacumen crux, & ſupra crucem roſa inter ſpinas enata cum gnoma ſequenti: IN PATIENTIA SVAVITAS. *Res uerſæ ſunt mater patientiæ, quæ fr roſis fragrantiſsimis. Ita vel ethn*

in omni vita nihil est ad laudem illustrius, q̃ calamitas ipsa. *Præclare etiã suauissimus ille Græcæ ecclesiæ Doctor.* ἀνεξικακίᾳ ἐστὶ πάντων αἰτία ἀνθρώποις τῶν ἀγαθῶν, ὥσπερ εἰς τινα εὔδιον λιμένα ὁρμίζουσα τῷ ψυχῷ.

Serra maledicentiam innuit, quæ perinde alienam arrodit famam verborum virulentia, vt serra dentium acie secat. *Rosæ imago suauitatem* seu *bonum significat, sed multis malis circumdatum*; vt rosa multis spinis circumsepitur, alias vt fere omnes flores decerpti humanæ fragilitatis, aut exiguæ subitoque disparentis iucunditatis est simulacrum.

HEN-

HENRICVS II. REX PORTVGALLIÆ VLTIMVS.



NAuis oneraria cum expansis velis in mari, cui alludit delphinus hac addita epigraphe : VBER ET TVBER. *Symbolum hoc qui recte percipere, sensumque penitiorem perspicere auet, historiam Regis probe notam habeat oportet. Ad annales igitur*

abi, quisquis hic hospes. Innuit autem, *nisi omnia fallunt, regni, ad quod suscipiendum tum vocabatur, vbertatem quidem & opimas opes, sed coniunctam cum pari vel regnandi difficultate, vel, quæ Regibus expectanda semper, periculorum magnitudine.*

LVDO-

LVDOVICVS ANDEGAVEN.

REX NEAPOLIS.



MAnus è nube demissa, librans lancem æquabiliter, gnoma supra scripta symbolica: ÆQVA DVRANT SEMPER. *Denotat regna & ciuitates sola iustificia fulciri, ac tanquam vinculo quodam constringi.* Nam vt Valentinianus Imp. dicere

dicere solitus est. τὸν κρείττονα ἀπαιδεύτως πρὸς τῶν ἄλλων δικαιοσύνης φροντίζειν *Et Philosophus*: Politiæ maximæ dissoluuntur propter iusti transgressionem.

Trutinam virgo læua manu tenens æqualiter libratam; dextera fasces *cum alligata securi* Romanis *iustitiæ & æquitatis* simulacrum fuit: Quo indicatum, merita vnicuique præmia & pœnas ex æquitatis lege esse distribuendas.

FRIDE-

FRIDERICVS NEAPOLIS ET SICILIÆ REX.



LIber vetus igni impositus, ac supra ignem corona tali vtens epigraphe: RECEDANT VETERA. *Rex antiquitatis studiosus Athenienſis illius ſimilis videri vult: qui cuiuſdam librum, quod de Dijs parum diuina*

uina scripsisset, igni tradidit, exusitq; atque eo facto errores veteres damnauit. Vel, *significat, se nuncium remittere veteribus simultatibus & odijs. Aliter diuinet Oedipus.*

VALENS

CAROLVS BORBONIVS
NAVARRÆ REX.



PAllas gladium & palmã vtraq; manu tenens cum hac inscriptione: REQVIES HÆC CERTA LABORVM. *Docetur & pacis & belli tempore modum seruandum. Vt enim alibi, ita & in ciuili ad-*

mini-

miniſtratione modus tenendus eſt:

Quem vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Cui accedit & illud:

Nil eſt tam præclarum, tamque magnificum, quod nõ moderatione temperari deſideret.

Vel innuit, belli finem eſſe pacem. Nam omne bellum ſuſcipitur pacis cauſa, & pace finitur, atque ita requies eſt laborum bellicorum.

Palladem armatam finxerunt veteres, vt indicarent, *armis circumſpecte ac prudenter vtendum*, ſiquidem *palmam*, quæ *victoriæ ſignum*, vt gladius belli, eſt, lubeat adipiſci.

IOAN-

IOANNES I. BORBONIVS
NAVARRÆ REX.



NAuis è nauali erumpens cum epigraphe: SVB SOLE SVB VMBRA VIRENS. *Significatur hoc scito : virum bonum esse* τετράγωνον, *nec in lætis tumidum, nec in tristibus timidum.*

Rectè enim Tragicus Græcus:

ὐ βιαςέον τύχην : καὶ οἰςέον τὴν τύχην.

Et Lyricus Romanus:

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus.

IOAN-

IOANNES II. BORBONIVS
NAVARRÆ REX.



DVæ vrnæ ollæve vna ignem efflãs, altera aquam effundẽs tali adſcripta gnome: PAR OBITVS. *Dauid Rex & pſaltes huc vocandus ad declarandum*: Stultus & ſapiens, inquit, peribit.

Cordatè etiam Ethnicus ille:

Quicquid habet ortus, finem timet,
ibimus omnes,
Ibimus, immensis vrnam quatit
Æacus vmbris.

Vel: *Contraria duo immoderata consistere simul non posse, parique obitu tolli; vt pugnantia elementa aqua & ignis simul sunt effusa in interitum.*

HEN-

HENRICVS I. BORBONIVS NAVARRÆ REX.



SCapha parua sine clauo, sine velis, remis, remige, in mari fluctuans, & stellæ vrsæ minoris super eam cum polo arctico, hoc symbolo appositio: QVO FATA TRAHVNT. *Naui*

Respublica & regni administratio haud dubie designatur: hanc se diuinæ curæ committere Princeps innuit. Prouidentia enim Dei omnia gubernantur, qua & mũdus administratur, & rebus humanis consulitur, nec solum vniuersis, verum etiam singulis. Maxime vero ea in mũdo imperia constituuntur atque conseruantur.

HEN-

HENRICVS II. BORBONIVS
NAVARRÆ REX.



CAluaria mortis, ſupra quam anguis ſymbolo addito emblematico; TE NVNQVAM TIMVI *Vox eſt vere & maſcula, & regia, qua præſefert animi etiam in morte adeunda præſentiam Chriſtianam.*

nam, Quippe vt pius quidam Germanorum Principum symboli loco habuit: Non timet mortem, qui vitam sperat. *Sic & Seneca.*

Tam stultus est, qui mortem timet, quam qui senectutem. Et Sophocles:

ὅστις βροτῶν τὸν θάνατον ὀῤῥώδει λίαν, μωρὸς πέφυκε.

Caluaria antiqui *mortis imaginem* exhibuerunt. Ideo Ægyptij in conuiuijs eam proponere consueuerunt, vt contuentes eam conuiuæ mortalitatis cõmunis essent inter epulandum memores.

GVIL-

HENRICVS I. REX ANGLIÆ.



SCala cum inſcriptione: PER GRADVS VELOX. *Quicquid ordine ac conſideratè fit, id demum & rectè & fructuoſè fit: contra præpropera feſtinatio nunquam non damnum peperit: In hanc ſententiam facit illud Philo-*

Philosophi: ταχέως ἐπιτελέσεις, ἂν μὴ πάντα πράττειν ἅμα βούλῃ, ἀλλὰ πρότερον τὸ πρῶτον, ἔπειτα τὸ ἑξῆς.

HEN-

HENRICVS II. REX ANGLIÆ.



ANchora erecta cum lemmate: FATA VIAM INVENIENT. *Sensus huius symboli nulli obscurus: in rebus nempe dubijs ac desperatis spem in* Iehoua *vnico sospitatore omnium figendam. Nam vt Linus*

Linus vetustissimorum Poetarum vere diuinus monet:

ἔλπεσθαι χρὴ παντ' ἐπεὶ οὐκ ἔστ' οὐδὲν ἄελπτον
ῥᾴδια παντὰ θεῶ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδὲν.

EDV-

EDVARDVS I. REX ANGLIÆ ET HYBERNIÆ.



CAuea adiecto symbolo: HINC FORTIVS IBO. *Respicit Rex ad carcerem suum, in quem cum patre Henrico & Richardo patruo à proceribus Angliæ in prælio ad Lewisium commisso captus, coniectus est. Ex quo*

elapsus recollectis viribus coniuratos bello adortus ad Eueshamum Simonem Montfortium cum alijs occidit, sicq; patrem & patruum libertati pie restituit.

EDVAR-

EDVARDVS II. REX ANGLIÆ, ET HYBERNIÆ.



TEla aranearum cum inscriptione: ARDENTIOR IBO. *Videtur Rex animositatem suam, vel animi præsentiam figurare hoc modo, vti telis araneorum facile perrumpunt grandiora insecta: ita se hostium telas & tela, hoc est, insidias & molimina perruptu-*

rum. Vel *significatur legum anomalia, de qua Anacharsidis dicterium satis notum. Vnde Satyricus:*

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

RICHARDVS II. REX ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HYBERNIÆ.



Serpẽs ſpinis circumuolutus cęlũ intuetur lauro cinctus ouali forma ſupra corona poſita ſubiecto ſymbolo: REGIS VICTORIÆ AVT VIRTVTIBVS. *Obedientia*

dientia & maiestas regia fundatur tum in felici bellorum successu & victoriis, tum in virtutum heroicarum magmentis.

Corona regnum metonymice, *serpens Sapientiæ, laurus victoriæ* figura. Serpens præter ea animal motu varium est, & ad defensionem paratum, quodq; hostem probe vlciſci potest & nouit. Recte igitur Philosophus in Ethicis: τῆς ἀρετῆς ἄθλον ἡ τιμὴ, καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς.

HEN-

HENRICVS IV. ANGLIÆ FRANCIÆ ET HYBERNIÆ REX.



ARa, cui ensis erectus impositus est, supra quem corona cum symbolo: PRO ARA ET REGIS CVSTODIA. *Officium magistratus mystice hic proponitur, quod est Dei inprimis gloriam, & ab hac ciuium sa-*

 lutem

salutem tueri conseruare, propagare. Viderunt hoc vel ethnici, vnde & Romanorum historiographus: *Pro aris focisq; & Deum templis, ac solo, in qua nati, dimicandũ.* Vidit item à sapientiæ nomine laudatissimus REX Alphonsus, cuius symbolum: PRO LEGE ET PRO GREGE.

HEN-

HENRICVS V. ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HYBERNIÆ REX.



AQuila corollam mordicus tenens addito lemmate : IMPERII SPES ALTA FVTVRI. *Aquila rostro corollam à Ioue acceptam in spem consequendi regni Galliæ offert omine bono. Victis enim aliquot cladibus Gallis, multisque vrbibus*

vrbibus, Normãdiæ captis, fœdere sibi adiũcto Philip. Burgũdiæ Duce, paternæ necis vlciscẽdæ auido Frãciæ Rex Carolo Delphino exclusoThrecis in Campania constitutus, ac Parisiis coronatus fuit.

Corollæ brabæa erant pro insignibus facinoribus dari consueta. Fiebant autẽ pro factorũ differẽtia ex aliis atq; aliis *arborũ foliis, herbis*, atq; *floribus*. Triumphãtibus *laureæ; quernea* iis, qui ciuem seruassent; *oleagina* verovictoribus in certaminibus gymnicis imponebatur. Erat prę terea, quæ *ex rosis ac floribus* contexebatur, hilaritatis & lætitiæ signum. Nam veteres conuiuia agitantes eiusmodi sertis seu corollis se ornare cõsuerunt, more inde orto, quod fascia tanquam diademate frontem cingerẽt strictius, ad largius bibendum sine valetudinis incommodo, vt à vino vapores ascendentes minus cerebrum læderent ac infestarent.

HEN-

HENRICVS VIII. ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HYBERNIÆ REX.



CAtaracta sex trabibus constans cum corona regia catenulis inclusa, & tali epigraphe : SECVRITAS ALTERA. *Figuratur symbolo hoc, non ab vno, sed pluribus subsidijs Regem pendere : id quod omnibus salutariter impera-*

imperaturis circumspecte est curandum.

Cataractæ vsus in arcium oppidorumque portis ad securitatẽ aduersus ruentes hostes notus est. Eiusmodi ferream cratem Romæ factam fuisse auctor est Appianus, cum inter Marium & Syllam ciuili dissidio exorto Romanorum res essent turbatę. Quo obstaculo, Carboniana factio à Sylla fuit repressa, dum conaretur per portam Collinam irruptionem facere. Quo demisso, nonnulli ex Senatoribus, & qui se in Carbonianam libertatem adseruerunt, oppressi sunt. Inde *Henricus Rex per cataractam denotauit secundum Deum securitatem sibi in subditorum suorum beneuolentia* esse collocatam.

IDEM.

IDEM.



ROsa, cui imminet corona cum inscriptione: RVTILANS ROSA SINE SPINA *Præ se fert hoc symbolo Rex, omnibus exclusis, vel æmulibus, vel gentilibus, se solum rerum potiri, clauumque regni vtiliter citra odium moderari.*

Rosa rubra Lancastriensis familiæ insigne, dissidio inter eam & Eboracensem orto, cuius alba rosa gestamen erat, spinis tum carere cæpit, gentilibus atque æmulis, qui spinarum instar rosam coronatam pupugissent, per connubium Henrici Octaui Regis cum Elisabetha filia Eduardi Quarti familiæ Eboracensis.

IACO-

IACOBVS ANGLIÆ, GALLIÆ SCOTIÆ, ET HYBERNIÆ REX.



GLadius, supra quem corona, cum inscriptione: PRO ME SIME REOR IN ME. *Ex historijs natum. Traianum Principem sapientem præfecto prætorio gladium districtũ tradidisse ferũt; additis his:*

Hoc gladio pro me vtere, si rectè impero, sin minus, in me. *Vel*, vt alij *cordatè Regem loquentem introducere volunt : Pro me, si mereor in me, subaudi gladio vsurus sum.* Id quod argutius ne an acutius sit; prudentioribus iudicandum relinquitur.



IDEM.

IDEM.



CArduus ſuperaddita epigraphe: NEMO ME IMPVNE LACESSET. *Innuit, neminem ſe laceſſiturum, neminem quoq; laceſſentem impune laturum.* Sicuti enim carduus, niſi declines, pungit & lædit: ſic princeps iniuſtè laceſſitus iu-

ſtè repellit ſe pungentes & lædentes. Hoc enim natura ipſa omnibus & gentibus & brutis præſcripſit: vt omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent: quid ni & REX, *paſtorq; populi*, quẽadmodum ſcite Homerus indigitat, *iniuriam à ſuo grege* & ciuibus?

IACO-

IACOBVS I. STVARTVS REX SCOTIÆ.



COrona humi posita, supra quam gladi⁹ & crux adnexa gnoma PRO LEGE ET PRO GREGE. *Innuitur, Regis esse officiũ religionis sinceritatẽ conseruare, ac subditos à violẽtia atq; iniuria omni à domesticis exter-*

externiſue hoſtibus illata tueri. Vel etiam ſic, *Regem pro lege crucem, pro grege gladiũ*: quarum illa pietatis, hic iuſtitiæ inſigne vſurpaturum ſuſcepturumue figurat. Nec enim pietas à iuſticia diſſociãda, nec contra.



ROBERTVS STVARTVS
REX SCOTIÆ.



SPhæra mundi supra posita corona, & supra eam stellæ tali cum symbolo: VANITAS VANITATVM ET OMNIA VANITAS. *Agnouit hic Rex, quod agnoscere omnes debemus, vitæ humanæ etiam felici-*

licissimæ, qualis Regum iudicatur, infelicitatem ac fragilitatem. Desumta est symboli epigraphe ex Sapientissimi illius Regum diuerbio, quod in Ecclesiaste scriptum reliquit.



IACO-

IACOBVS IV. STVARTVS
REX SCOTIÆ.



COrona in cuſpide, quam vndique tempeſtates impetunt cum inſcriptione: STAT ADHVC. *Hieroglyphicè Rex fortunam ſuam variam depingit, & hæredi ſuo regnum, quod tam ab externis quam dome-*

domesticis hostibus infestabatur, omine sane felici ac veraci promittit.



FRI-

FRIDERICVS DANIÆ NORVEGIÆ SELAND. GOTHOR. REX.



FOrtuna in pila volubili stans & velũ vibrans cum inscriptione: FEDELTA E COSA RARA. *Innuitur hoc lemmate hominum leuitas; qui quemadmodum vento circumagitatur velum: sic illi animum, quo*

quo res secundæ inclinant. Elegãter igitur eloquentiæ Princeps. *Firmamentum stabilitatis constantiæque eius, quam in amicitia quærimus, fides est, nihil enim est stabile, quod infidum est.*

CHRI-

IOANNES III. SVECORVM, VANDALORVM GOTHORVM Rex.



QVinq; ſagittæ in medio colligatę cũ inſcriptione. NEC QVICQVAM NISI EMISISSEM. *Martia Regis vox, arma ſpirantis & indicantis, fruſtra ſagittas colliga-*

tas, ac in pharetram reconditas asseruari, nisi necessitate vrgente in hostes emittantur.



CASI-

CASIMIRVS REX POLONIÆ MAGNVS DVX LITVANIÆ &c.



PAlma aduersus pondera exsurgens, quam mundi machina premit, & supra machinã mulier nuda stans cũ inscriptione: ADVERSVS PONDERA SVRGO *Sensus symboli huius perspicuus cuiuis patet. Vt* enim *palma, quo magis premiter, eo*

altius sese erigit: ita vir fortis nullis aduersis succumbet, sed semper contra audentior ibit, vt recte quidam:

Nititur in pondus palma, & consurgit in arcum,
Quo magis & premitur, hoc magè tollit onus.

De *palma Aristoteles, Plutarchus, & Plinius* referunt, si super eius arboris lignũ magnum & quantumuis pondus imponatur, eam non deorsum inflecti, sed aduersus id consurgere, ac sursum incuruari. Hinc *per eam victoria fuit donotata* non oratione tantum, sed pictura etiam, quam antiqui nummi videndam exhibent. *Eadem* arbor, vt *singulorum, piorum, ita & Ecclesiæ* his in terris militantis luculentum est *signum*. Nam quo illam Tyranni infestius oppugnant: eo latius & altius surgit. Inde anonymi versus:

Fortius vt duro surgit sub pondere palma:
Sic magis accrescit duris Ecclesia rebus.

IDEM.

IDEM.



PYramis lateritia cum ianua & Sole in ſummitate adiecto ſymbolo: SIC IMMORTALIS ERO. *Rex hoc videtur myſtice deſignare: ſe cœleſtem beatitatem ſibi à* CHRISTO *tanquam fundamento ac fulcimento ſalutis polliceri.*

Pyrami-

Pyramides ab *Aegyptiis Regum sepulcris impositæ* olim fuerunt, quæ in hodiernũ etiam nũ diem extant. *Sol* quod omnis luminis in mundo hoc sublunari fons sit, & efficacissime vi caloris sui operando ad rerum generationem plurimum conferat, vnusque sit *Dei*, qui vnus, bonus, atq; lumen ipsum est, constitutus fuit *character*. Ideoq; Persæ reliqua turba Deorum deiecta, Solem duntaxat Dei loco coluerunt, quod vni Soli vix mundus sufficeret. Vnde etiam iidem *Persæ per Solem eum indicabant, apud quem summa esset imperij* maiestas, quem singulari quodam modo eiusdem lumine perfundi arbitrabantur.

SIGIS-

SIGISMVNDVS I. REX POLONIÆ MAGNVS DVX LITVANIÆ &c.



CRanium, cui liber subiectus, ex capite autem lampas elucet, cum addito symbolo : PRAVVO ZYVVE CHCE, quod Latine sic : ius viuentem poscit, vel

vel omne viuens. *Quamuis, si verũ dicendum, in biuio hic est animi cogitatio: tamẽ nec à vero fors aberrarit quispiam, si ita interpretetur:* Regẽ monere hoc symbolo quẽuis mortaliũ, vt mature se ad mortẽ paret. Nam iudicium quemlibet manere viuentium, idq; certissimum & grauissimum.

Lampade vita humana typice fuit adumbrata, *vitali humore*, qui caloris est ad vitæ conseruationem pabulum, *per oleũ*, quo lumen nutritur, significato. Vtque lampas nutrimento absumto extinguitur: ita deficiente radicali humido calor & corpus extinguitur. Inde apud Euripidem sapius vitam relicturi dixerunt: χαῖρε φίλον φῶς. *Liber* vt eius *memores simus* vel parænesium sacrarum monitu inculcat: *Cranium* vitę exitum, & consequens denotat.

IDEM

STEPHANVS BATHOREVS
REX POLONIÆ, MAGNVS DVX Lituaniæ, &c.



QVinq; papauerum capita inferius colligata, & super ea corona clausa tali cum noemate: NON PER DORMIRE. *Symboli interpres est Poetarum Græcorum princeps:* ἁ χρὴ πάννυχον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

ἀνδρα. Turpe enim est, Principem, cui populi subiecti sunt, quemq; publicæ salutis dies noctesq; satagere decet, noctes dormitãdo traducere totas. Hinc *ne expecta*, inquit Rom. historiographus: *nil agenti in sinum de cælo deoluturam victoriam aut fortunam esse.*

IDEM.

IDEM.



PAlma, ex cuius altera parte insidet trunco vir coronatus plorabundus armis abiectis; ex altera parte fœmina manibus post tergum reuincta, & puer plangens euellensq; capillos cum huiusmodi epigraphe. LIVONIA POLO-

CIAQVE RECEPT. *Ad imitationem nummorum Vespasiani ac Titi Impp. Romanorum, qui Iudæa & alijs prouincijs captis simili interpretatione vsi sunt, numus signatus est victoria ex Moscorum Principe reportata, Liuoniaq; ac Polocia regno Poloniæ restituta.*

SIGIS-

SIGISMVNDVS III. REX POLONIÆ ET SVECIÆ MAGNVS Dux Lituaniæ, &c.



GLadius vibratus tali adiuncta epigraphe: PRO IVRE ET POPVLO. *Numus hic cuſus eſt in coronatione Regis, quo tanquam ſymbolo animum erga regnum præſentem ac conſtantem oſtendere ac*

declarare voluit. Hoc enim Regis munus, iura regni & populi incolumitatem tueri, vt alibi dictum: *Salus populi suprema lex esto.*

IDEM.

IDEM.



DVæ palmæ ſupra flumen ſeſe inuicem acclinantes cum hac inſcriptione: AMOR DISTANTIA IVNGIT. *Signatum eſt numiſma hoc miſſile in nuptijs Regis vt epigraphe indicat, amore mutuo & coniugali Regem atq; Auſtriacam illam Heroinam*

roinum consociatos esse, nil impediente locorum intercapedine.

IDEM

IDEM.



INsignia domus Austriacæ, supra quę à dextris aquila Imperij, à sinistris vero aquila regni Poloniæ imminet hac apposita epigraphe: POST ANIMOS SOCIASSE IVVABIT. *Post dissidiũ in diuortio sententiarũ Ordinũ regni Poloniæ*

Poloniæ de Sigismundo Sueciæ Principe ac Maximiliano Austriæ Archiduce animos coniunctos interueniente matrimonio numisma cum lemmate indicat, quod eodem tempore, quo & prius in manus atque oculos hominum peruenit.

IDEM.

IDEM.



TRes corollæ funiculo colligatæ, in quarum ſuperiori inſcriptum COELITVS: ex inferioribus ad dextram: SVBLIMIA: ad ſiniſtram: DANTVR. *Scitum hoc eſt cæleſtium monumentis literarum deſumtum. Teſtantur enim tum veteris*

tum

tum noui Instrumenti libri, diuina prudentia vt mundum vniuersum gubernari: sic & regna & Reges non tam electione humana, quã voluntate diuina dari. Per me, inquit IEHOVA, Reges regnant, & Principes decernunt Iustitiam: per me Principes dominantur, & omnes iudices terræ. Per *corollas* tres fortè *trium regnorum* spem præfigurat.

IDEM.



IDEM.



DVæ fœminæ, quarum altera capiti impositam nauim, manu erigens tridentem, effundensque vtrem, delphino circum pedes se voluente: altera palã dextra, cornucopiæ & mergitẽ sinistra gerẽs, arce capiti imposita, gnome

me ſymbolica adnexa: CRESCIT GEMINATIS GLORIA CVRIS. *Hieroglyphicè denotat* REX, *ſe & maris, & terræ, hoc eſt, regnorum Sueciæ Poloniæq; potentem eſſe, ac proinde ſibi pro vtroq; regno diligenter excubandum, cum* ——— Profecto nil ſit

Æque difficile, ac bene imperare.

O munus graue Principum bonorum.

VLA-

MATTHIAS CORVINVS REX VNGARIÆ.



ANnulus aureus asseri directè impositus, cõprehendens adamantẽ acuminatũ, cui stella maiuscula ex interstitio suprapositа tali cũ epigraphe: DVRAT ET LVCET. *Figurat Rex, se & imperare,*

Hæc subscriptio sequenti symbolo competit
XB.

pertrare, & superare per aduersa, per acuta at
robusta quæuis. Splẽdet enim virtus sem
per, neq; illis sordibus siue aduersis o b
soleſcit; atq; in tempestate siue quiet
est, lucetque in tenebris.

Adamas, quia eius est duritiei & in
domiti roboris, vt nõ solum nullo pos
set teri aut tundi instrumento, sed et
iam vim ignis illæsus perferat: inde *pr*
animi fortitudine, firmoque animi pro
posito est acceptus, & vniuerse omni
dura & implacabilia eius gemmæ, quam
ideo indomitam dixerunt, nomine fu
erunt denotata.

VLA

VLADISLAVS VNGARIÆ ET BOEMIÆ REX.



PYramis, ad cuius apicem ſertum alligatum eſt, & in medio eius homũcio coronatus alatusq́; repens, aſcenſurus ad ſummitatem eius cum emblemate: VEL SICENITAR. *Generoſa*

Hodie subscriptio antecedenti symbolo comp

NB.

regni & dominatus ampliſicandi cupiditas generoſiſſimo cuique animo inſita eſt. Pyramis arduum quiddam & perfectũ denotat: ſertum victoriæ præmium: *homuncio cũ corona & alis virtutis conatus & animi generoſi impetus* eſt ſymbolum, qui nihil non poteſt. Vel innuit: *ſe etſi vndiquaq; hoſtiliter impetatur, tamen Deo fauente palmam obtenturum.* Suetonius memorat M. Saluium Ottonem tanta flagraſſe regni cupiditate, vt non diſſimularit, ſe niſi Principem ſtare non poſſe: nilque referre, ab hoſte in acie, an in foro ſub creditoribus caderet.

LVDO-

LVDOVICVS II. VNGARIÆ. ET BOEMIÆ REX.



IGnis, quem desuper è nubibus sufflat vētus cum epigraphe: CONTRARIA IVVANT. *Hoc innuere Rex videtur, etiam res aduersas, quæ minimè iuuare videntur: tamen multis multoties prodesse.*

De pijs non est, quod probetur. Popilio ethnico ethnicus ipse Tullius literis proditum reliquit: *In omni vita nil ei ad laudem illustrius fuisse, quàm calamitatem ipsam.*

Ignis calor, quamuis *venti frigori sit cõtrarius*, huius tamen flatu excitatur, fitque vehemẽtior & maior. Inde natum hieroglyphicum, *rerum aduersarum sensum patiẽtiam atq; animi magnitudinem* incrementa subinde maiora capere.



IOAN-

GONTRAMVS DVX BVRGVNDIÆ.



ENsis transuersim positus & super eũ mus repens, cum epigraphe: SIC SVPER IRREPAT. *Ex annalibus Gallicis symbolis ẽsus liquet.* REX hic devenatione fessus, & tẽpore præuentus, in saltu alicubi

cubi cubans cum armigero, somniat se subire specum, & isthic gazam ingentem inuenire. Hæc videns mouere & voluere sese, vt animi affectum corporis motus sequatur. Armiger aut nondum consopitus, aut motu Regis expergefactus, ex ore regio egrediens minutum quadrupes videt, hæsitare autem & vadum quærere, vbi ad riuulum pluuia aqua fluentem venit. Miraculo rei is attonitus, & misertus animantis, gladio districto riuulum sternit, quẽ transiens sub antrum aduersi montis ingressa, nec multo post regressum per os Regis in Regem se recipit. Quo viso cõsternatus exclamat armiger, & Regem excitat. Rex ad se rediens somnium, armiger visum, commemorat. Diuinum, vt erat, id ostentum ratus Rex operas tempestiue cogit, ac perfosso colle, subiectaq; specu thesaurum inuenit, quem in DEI honorem vertit, ædes sacras à fundamentis erigit, aut vetustate collapsas restituit. *Hinc symbolum natum.*

BAS-

BASSANVS SICAMBRORVM REX.



ENsis erectus, & funiculo ligatus septies, in modum orbicularium, dependente vtriq; funiculo & incuruato cum inscriptione: DISCITE IVSTICIAM MONITI. *Acerrimum iusticiæ vindicem*

cem Regem hunc fuisse, ideo merito iustum dictum sequens ostendit factum: filium enim suum Sedanum adulterii accusatum, posthabitis omnium deprecationibus, & superante amore patris reuerentia iuris gladio ferire iussit inquiens: *Fili non ego, sed leges te necant*: cumque in publicum prodiret, anteferri perpetuo ensem iussit, cuius summitate adnexa restis aut laqueus, terrori spectantibus, insontibus solatio.

SIGO-

ALBERTVS ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS S. ROM. IMP. Elector.



TErminus Romanorum Deus hoc addito hemistichio: MORS VLTIMA LINEA RERVM. *Sensus v'tro se inspicienti offert. Quemadmodum enim terminus*

ille nulli, ne Ioui quidem cessit: ita & mors nulli vel ætati, vel sexui, vel ordini parcit. Id quod plurima autorum confirmant dicta, luculentius vero experientia. Vide, si lubet, inter sexcenta similia Odam Horatii omni nectare dulciorem libro quarto septimam. Vsus est eodem symbolo magnus ille *Erasmus Roterodamus* cum adscriptione: *CONCEDO NVLLI.* Quod quidam nimis imperite in calũniam vocarunt quasi arrogantiæ esset symbolum. Adi epistolam ad Alphonsum Valdesium, in qua se grauiter purgat.

DANIEL

DANIEL ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS S.ROM.IMP. Elector.



PIscatores verriculum colligunt ſub Solis occaſum cum inſcriptione: PVDEAT NOS PERDIDISSE DIEM. *Querela eſt myſtæ de paucitate amicorum fidelium. Pauci enim, vt Comicus ait*

ait, *ex multis amici sunt homini, qui certi sīt: & difficile est amicum ita reperire, vt nomen cluet.* Quantum enim amici possint, indicat ille in bello Iugurth. *non exercitus, neq; thesauri præsidia regni sunt; verum amici, quos neq; armis cogere neque auro probare queas: officio & fide parantur.* Aut respexit ad Vespasiani illud: *Amici diem perdidimus, nulli scilicet benefaciendo.*

Rete in sacris esse hieroglyphicum *Suadæ*, cuius vi & adminiculo homines ad veritatis cognitionem adduci queunt, quasique piscium instar capi, notū est ex historia Euāgelica. Videtur alludere ad piscium capturam, de quo in sacris. *Notantur* præter ea *per rete insidiæ ac desolatio.*

SALEN-

FRIDERICVS III. COMES PALATINVS RHENI S. ROM. IMP. Elector.



LIbra cœlitus dependens supra globum terræ cum paræneſi ſacra: QVI IVDICATIS TERRAM DILIGITE IVSTICIAM. *Dei præceptum eſt, cui etiam Philoſophi adſtipulantur, eam virtu-*

virtutem Principibus ac magistratibus dignissimam esse. Dei enim loco constituti iusticiam, sine qua ne Iupiter quidem (vt ille ait) principem agere oportet, excolant oportet. Vnde Lyricorum Græcorum Princeps *Iouem Soderem* facit vna habitãtem *cum Themide:* Regem seruatorem iustum hoc modo interpretans, vt refert Clemens lib. 5. stromatum.

IDEM.

IDEM.



VEnti duo ſpirantes in ſcopulum iti mari imminẽtem cum inſcriptione: NISI DOMINVS FRVSTRA. *Innuitur ſymbolo & ſimulacro: quemadmodum turris ſupra ſcopulum extructa vim ventorum & fluctuum continuo perferre non poſſet, niſi ſcopulo*

pulo firmißimo impoſita eſſet, ita Principem tot tantiſq; hoſtibus, qui certatim ipſi inſidias ſtruebant, reſiſtere non potuiſſe, niſi Deus paterno ſuo ipſum auxilio fuiſſet tutatus.

IDEM.

IDEM.



PYramis circa quam desuper repit serpens cum epigraphe: PRVDENTIA IN ADVERSIS. *Prudenter hic Princeps monet, in rebus dubiis arduis adhibendã quasi condimentum prudẽtiam, quæ amara edulcet.*

Hieroglyphica ipſa omnibus, modo non plane in manſuetioribus muſis hoſpitibus, nota ſunt.

MAVRI-

AVGVSTVS SAXONIÆ DVX R. IMP. ARCHIMARESCHALlus & Elector.



INsigne gentilicium geminis lauri ramis contentũ, & in fastigio pileus Electoralis cũ inscriptione: TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT. *Quid symbolum & hieroglypton velit historiæ monumẽta edocent.*

cent. Etenim Gotha, quę proſcriptorum Imperii receptaculum erat, ipſius ductu auſpiciiſque anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo ſeptimo capta atque expugnata in memoriam victorię obtentæ Ioachimicos ſeu thaleros, vt vocãt, tali cum epigraphe ſignari fecit.

IDEM.

IDEM.



NAuis in vado vndiquaque ab equitibus impetita, in velo imago crucis cum inscriptione: TE GVBERNATORE. *Præsefert Principe, imo homine quouis Christiano dignã fiduciam.* Christum enim qui habet, & in cruce eius atque

merito acquieſcit lytri precio, ille hoſtes omnes, à quibuſcunque oppugnetur, facile vincit ſternitq;, etiamſi res ipſius fiduciarii in vado iam videantur. Opinio fert plerorumque, ingenioſe exprimere voluiſſe Principem vitæ ſuę imaginem. Explicatio ipſa Lectori ſaltem non rudi hiſtoriarum ſuperioris ſeculi relinquitur.

CHRI-

IOANNES GEORG. MARCHIO BRANDEBVRG. S. ROM. IMP. ELECTOR.



CAduceum, cuius cuſpidem tegit galerus Mercurii, ſaurotera vero alæ de talaribus Mercurii detractæ, ſerpentibus circumcirca ſibilantibus cum inſcriptione: VTRIVSQVE AVXILIO. *Caduceo Mercurii & alis indicatur celeritas & eloquentia: quibus vtriſque omnes & minæ & iræ pelluntur finiunturue. Celeritas* enim *prudens mala ſæpe maxima opprimit: eloquendi* autem *vis, quo vult, animos*

nimos hominum impellit depellitque. Elogia vtriusque & celeritatis & eloquentiæ varia apud varios extant.

Mercurio eloquentia visque animi sensa indicandi fuit figurata, vt pote qui Deorum nuncius habe etur. *Alas* autem *in capite & pedibus* eũ *habere* finxerunt, ad indicandam *orationis celeritatem*, quæ rapidissime instar volucris per aerem feratur. *Caduceo afflatum* quendam *diuinum*, quo non modo mentis nostræ, sed creata reliqua omnia mouentur ac gubernantur, notare veteribus placuit: vt etiam caduceo anguibus circũuoluto, quos, vt est in fabulis, pugnantes cum inuẽissẽt, diremit, ita vt ambo caduceo eius adhæserint, concordiam adumbrarunt. Quam effigiem in quodam M. *Antonini* numo videre licet. *Pileus libertatis* Romanæ erat *index*, documento sunt nummi, in quibus exstant simulacra dextra pileum gestantia, quemadmodum læua expassa habentia, quædam ea hastam tenent cum inscriptione LIBERTAS AVG.

LEO

LEOPOLDVS PROBVS DVX AVSTRIÆ, COMES HABSpurgi &c.



CAtaractæ aquarum scopulis defluentes, è quibus eminet manus ac pes terrę infixus, infra vero quinq; summitates hastarũ, ex quibus vltima Burgũdico vexillo ornata est adposita gnoma: VIRTVTI NIL INVIVM. *Magno animo nil*

nil magnum olim ſapiens duxit. Et alius hiſtoriæ ſcriptor præclare: Nihil tam alte natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti. Idem hieroglypton ſymboli elogio confirmat.

Cataracta vehementiæ & *Impetus* in requacunque, ſiue in verbis, ſiue in rebus aliis hieroglyphice *denotatur.*

IDEM

ERNESTVS FERREVS DVX AVSTRIÆ STYRIÆ, CARINTHIÆ, Carniolæ, &c.



MAnus è nube tenēs tribulum ferreum cotis instar circa medium, appositō symbolo tali: TELVM VIRTVS FACIT. Vult *Princeps, virum fortem urgente necessitate prouocatum, quacunque*

iniuria adiuſtam ſui ſuorumque defenſionem nunquam armis carituruſ, modo non deſit animus fortitudine ac conſilio inſtructus. Vere enim fortis eſt, non qui facit, ſed qui propulſat iniuriam: Omniaque ita agit, vt recta ratio dictat.

SIGIS-

ALBERTVS SAPIENS ARCHI-DVX AVSTR. STYRIÆ, CARINTHIÆ, Carniolæ Dux.



RVsticus ἀκέφαλος vel sine capite incedens gladio accinctus tali cum lemmate: ET HIC VIRVM AGIT. *Quod manus pedesque in homine, id miles est in exercitu: caput autem dux & imperator bonus*

ac fortis. Hoc igitur innuere videtur: modo dux sit fortis ac strenuus, milité itidem virum futurum. Quantum enim in bono duce situm sit, ostendit ille: *Malo exercitum ceruorum duce Leone; quam exercitum Leonum duce Ceruo.*

FER-

IDEM.



NAuis quinque velis insignita, & exposita in mari tribus ventis cũ inscriptione: RESISTVNT FIRMATA. Hoc inculcat mysta: *illa tandẽ felix, illa florens est Respubl. illud stabile regnũ: quod Principe sapiente atque bono fultum.* Id quod &

Orator docet: *Magistratibus*, inquit, *opus est: sine quorum prudentia ac diligentia constans esse ciuitas non potest.*

CARO.

IDEM.



FOrtuna fronte capillata, vno pede globo mari innatanti insistens adiecto lemmate: AVDACES IVVO. *Notum est symbolum, eiusq; explicatio: cum non ab vno, sed pluribus sit vsurpatum*: Audentes fortuna iuuat. *Nihil* nam que *est inexpugnabile,*

gnabile, nihil munitum satis illis, qui animo magno aggrediuntur res magnas. Approbat idem symbolo imperator ille, qui dixit: *Fortes fortuna metuit, ignauos premit.*

ERNE-

IDEM.



RVpes, & ſupra eã alæ binæ, in quarũ medio ſertum ſupra poſito eodem: AMAT VICTORIA CVRAM. *Ad victoriã acquirendã non tam nerui æraríj, quã ingenij intẽdendi ſunt.* Scite hinc Tacitus: *Victoria conſilijs & ratione perficitur.*

Alæ in antiquis numis ac monumẽtis pro *victoriæ* significato fuerunt sculptæ: quia victoriæ partæ fama se statim extollit in auras, amplexaque gloriam per summum ęthera latè volat, perque immensos terrarum tractus exspatiatur, offensiones impedimentaque omnia sua agilitate declinans. *Rupes constãtiam animiq; infracti robur* denotat. Notum ex felice auctore Æneidos, virum fortem rupi assimilari.

IDEM

IDEM.



DVo genij alati ſignum Auguſtale palmæ applicant, cui inſiſtit grus lapillum pede cuſtodiens, cum eadem inſcriptione: AMAT VICTORIA CVRAM. *Eandem* νουθεσίαν *alia idem Princeps imagine proponit, indicatq;, bonam cauſam vt*

plurimum bonum etiam sortiri euentum; ac in bello præsertim exitum dubium non esse, vbi cura & vigilantia semper cum prudentia præsto est.

MAXI-

PHILIPPVS AVDAX DVX BVRGVNDIÆ ET BRABANTIÆ, Comes Flandriæ.



IGnitabulum, ex quo ignis percussu silicis elicitur cum lemmate: ANTE FERIT QVAM FLAMMA MICET. *Præcidendum est maturè dissidium, & opprimendum in prima flamma cuiusuis incendium.* Id sym-

symbolicè, vt videtur, hac pictura figuratur.



IOAN.

IOANNES DVX BVRGVNDIÆ ET BRABANTIÆ, Comes Flandriæ.



COlumna ansata solido ex marmore, cuius circa medium duo annuli manibus trahuntur, quarũ alteram testudo, alteram ala insignit addita inscriptione: VTCVNQVE. *Adũbrat symboli autor,*

autor, vtcunq; moueas, siue lente, siue impetuose: tamen subuerteris; docetque, nec nimiū properandum, nec nimis tardandum. Veri verbium enim est: *Sat cito, si sat bene.*

PHI-

PHILIPPVS DVX BVRGVNDIÆ ET BRABANTIÆ, Comes Flandriæ.



VEllus arietis aureum cum epigraphe: PRECIVM NON VILE LABORVM. *In huius symboli sensu enucleando Oedipo opus non est. Videt enim quilibet, hoc*

T *denota-*

denotari, virtutis, & qui, virtutis causa, suscipiuntur laborum; præmium esse veram laudem & immortalem gloriam. Etenim Virtus nullam aliã laborum periculorumque mercedem desiderat, præter hanc laudis & gloriæ, vt disertissimus ille Romanorum. Ita *Iason* cum socijs nauigatione periculosissima suscepta, alijsque laboribus grauissimis, vt fabula habet, exantlatis superatisque aureum vellus tandem abstulit: ob quod facinus multis in locis templa ei fuerunt erecta: fama autem nominis æternis literarum monumẽtis consecrata. De aureo vellere videantur Poetæ, & qui Poetarum fabulas feliciter explicuit: *Natalis Comes* cum alijs Philologis.

LV.

GVILHELMVS IV. BAVARIÆ DVX, COMES PALATINVS RHENI.



MVndus, quẽ hiatu diductum mare absorbet, supra eum hippodromus, in quo à calce ad carceres contẽdit eques ad metã, cui imminet laurea corona decussatim cum palmæ ramis iuncta,

iuncta, præcepto subiecto ethico: AGNOSCE, DOLE, EMENDA. *Breuiter Princeps pœnitentiæ naturam complexus est, quæ in tribus hisce consistit, vt lapsus nostros agnoscamus, ob eos dolorem concipiamus, vitamque in melius commutare studeamus.* Sic *Arianus Nicomedienſis* autor est, nullum vnquam antiquorũ Regem in tantam post peccatum pœnitentiam veniſſe, vt Alexandrum Magnum. Summa autẽ medicina peccati est: & peccatum confiteri suum, & eiusdem pœnitentiam præ se ferre.

MAXI-

MAXIMILIANVS BAVARIÆ DVX, COMES PALATINVS RHENI.



TVrtures duo calici superne insistẽtes sub signo crucis statuuntur, & radijs illustrantur, quem gemina dextra cõplicata tenet cum inscriptione: CONCORDIÆ ÆTERNÆ. *Princeps constantem*

stantem fidem & concordiam æternã promittit siue in coniugio, siue extra illud. Vere igitur & pie quidam ex Patribus: *Quæ harmonia Musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam, arctissimum atq; optimum vinculum in Republica incolumitatis, eamq; sine iustitia nullo pacto esse posse.*

Turturum pari, pudicitia fuit notata, quam adeo pertinaciter seruant, vt altero vita functo, aliter ita aliorum consuetudinem refugiat, ex dolore extincti comparis; vt reliquam vitam in perpetuo cælibatu degat, sola volet, neque in frondescenti vnquam sedeat ramo: Quamdiu autem viuunt, mas cum nulla alia rem habet, quam cum ea sola, cum qua semel coniunctus fuit, vt & foemina nullum alium admittit marem. *Calicis* significatum notum est ex Christianæ religionis mysterijs. *Crux* radians indicat animum promptum cœlestis gratiæ spe ad omnes aduersos & insperatos fortunæ casus sustinendos.

FER-

IOANNES CASIMIRVS COMES PALATINVS RHENI, DVX BAVARIÆ.



INsignia Principis ramo oleæ & palmæ transuersim imposita, & annulo cum adamante acuminato inferius, manibus vero superius iunctis, clauso celatoque inclusa cum symbolo: CON-

STANTER ET SINCERE. *Hierographiæ interpretatio in ſymbolo habetur. Nam adamas fortem ac conſtantem: dextrarum nodus ſincerum deſignat animum.* Nec enim cōſtantiæ nomē meretur, ſed pertinaciæ; in eadem ſententia perſeueratio.

IOAN.

IOANNES GEORGIVS COMES PALATINVS RHENI, DVX BAuariæ.



LYchnus ſtabilis cum illychnio effumante tali epigraphe: EX FVMO LVCEM. *Præſefert Princeps: nil faciendum in obſcuro, cuius in lucem prolati nos pudeat: cum nil in occulto geri poßit: quod non*

aliquando palam fiat. Aliter *Flaccus* deflectit in arte: nempe *ex humili initio eximias & illustres texere narrationes.*

VOLF-

GOTTFRIDVS BVLLIONÆVS
LOTHARINGIÆ DVX.



TRes auiculæ in acie ſagitta confoſſæ cum epigraphe : DEDERIT NE VIAM CASVSVE DEVSVE. *Symbolum ſumtum ex euentu. Ferunt* enim *Ducem hunc in expeditione illa noſtratium Argo-*

nautarum ad occupandam terram ſanctam, in obſidione vrbis ſanctæ vna ſagitta tres ſimul traieciſſe aues : vnde miles augurium lætum duxerit. Symbolum hoc Ducum Lotharingiæ progenies in publicis nummis hodie adhuc retinet ac conſeruat.

ANTO-

ANTONIVS LOTHARINGIÆ DVX.



SCapha lucente luna septemtrionibus subiecta, sine vectore, gubernatore, remige, medio mari & procelloso cum voto pio: DOMINE VIAS TVAS DEMONSTRA MIHI. *Monet symbolo, imminen-*

minentibus calamitatibus ac periculis quibuscunque huius vitæ nusquam tutius esse perfugium, quam ad diuinum auxilium. Nam vt nauicula, quæ mari procelloso vehitur, sine rectore & gubernatore in maximo submersionis periculo singulis momẽtis versatur, nisi Deus ἀπὸ μηχανῆς illam in portum tempestate sedata deducat: sic etiam in mortali hac vita anxietatum fluctib. iactati perpetuo versamur in periculo, nisi diuina affulgens gratia ex illis nos liberet.

ER-

ERICVS DVX BRVNSVICENSIS ET LVNÆBVRGENSIS.



SInistra manu lunatur arcus, dextra neruus tenditur, atque telum in aera iacitur symbolo adnexo: SIC AD ASTRA: *Martia Ducis sententia, non viriũm robore, ac lacertorum firmitate, sed virtute*

tute ac rerum gestarum magnitudine nomen famamq; acquiri sempiternam. Affine huic illud Senecæ:

Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo;
Hæc summa virtus, petitur hac cælum via.

IV.

IVLIVS DVX BRVNSVICENSIS ET LVNÆBVRGENSIS.



SYluanus notum Brunſuicenſium Ducum ſignum, lumen gerit lemmate adiecto: ALIIS INSERVIENDO CONSVMOR. *Expreſſa hoc emblemate eſt boni Principis imago: qui per omnem*

omnem vitam, quicquid bello togaq; facit, aliorum ciuium nempe & patriæ causa facit: tandemque morte vocante absumtis viribus occumbit.

HEN-

IDEM.



TRes sunt prosopopoeiæ, vna *veritatis* in colle stantis, *mendacij* altera, *calumniæ* tertia eiusmodi cũ symbolo: RECTE FACIENDO NEMINEM TIME. *Quanta sit veritatis vis, quanta efficacia hoc symbolo figuratur: tanta certe est, vt*

eam nec calumnia lædat, nec mendacium opprimat. Præclare enim Orator: *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, cõtraq; fictas omnium inſidias facile ſe per ſeipſam defendit.*

GVIL-

GVILHELMVS DVX CLIVIÆ.



CEntaurus raptam vehens puellam addita epigraphe: LÆSÆ LIBERTATIS AFFECTVS. *Figurantur hoc hieroglypto, nisi fallit mens, Belgæ: qui Hispanorum iugo pressi tum ad alios Christiani orbis Prin-*

cipes perfugium, tum ad Iuliacensem Principē habuerunt: & quanti libertas inæstimabilis res facienda sit, suo exemplo comprobarūt. Mors enim seruituti anteponenda est, qua nil fœdius aut miserius, cum ad decus & libertatem nati simus, quam aut tenere, aut cum libertate mori debemus.

Centauri monstrosa *forma*, humana à pube sursum, reliqua equina depingere voluerunt veteres *celerem vitæ nostræ ad finem decursum*, ad quem mira lubricitate properamus incauti.

IOAN.

IOANNES II. DVX CLIVIÆ TERTIVS.



LIlium enaſcens adſcripto hoc lemmate: HODIE CRAS NIHIL. *Scitum hoc ſacræ literæ, vt profana omittantur, non vno in loco toti mundo, & qui in eo, ſummis, medioximis, imis occinũt: exemplis autem probat ſatis ſuperque experientia quotidiana, vt*

pluribus opus non sit. Caducis igitur relictis stabilia quæramus.



ADOL.

ADOLPHVS DVX CLIVENSIS ET IVLIACENSIS.



LAncea rupta cum vexillo & lemmate tali: MALO CONSILIO. *Monetur hoc symbolo quiuis exercitus dux, quid sui sit officij: vt etiam atque etiam videat: ne cubi perperam consulendo agendoue periculum incurrat, aut victoria excidat.*

Quic-

Quicquid enim in bello prospere autsecus geritur, id omne imperatori seu duci adscribendum censetur.

CARO-

CAROLVS FRIDERICVS DVX CLIVENSIS ET IVLIACENSIS.



HErcules, claua eleuata ictum intẽdens draconi longo & tortuoso arborem pomiferã circumrepenti & custodienti eiusmodi epigraphe addita: AVREA VIRTVTIS MERCES SVDORE PA-

PARANDA EST. *Hoc figmento poetæ figurarunt: quemadmodum Hercules, vt pomis hortorum Hesperidum potiretur, nullum laborem periculūq; in dracone custode interficiēdo, subterfugit: ita virtutem vt acquirere liceat spretis voluptatibus, missaque inertia nullum studium, nullique labores declinandi sunt.*

IDEM.

IDEM.



PArma cordibus perpetuis turgens cum epigraphe: BENEVOLENTIA BONISSIMA GVARDIA. Ad cuius declarationem in ipso numismate additur. HIC MVRVS AHENEVS ESTO. *Exẽpla veritatem symboli satis superque edocent, ostenduntque, nullum præsidium imperij firmius*

mius esse, quam ciuium beneuolentiam. Sic Periander *summa ope connitendum* dixit *ijs, qui tuto regnare vellent, vt beneuolentia potius, quam armis stiparentur.*

Huc facit lepida illa de *Eberhardo* Duce Vuirtenbergico narratiuncula. Cum enim in quodam Principum cõfessu alia alii suarum ditionum ornamenta atque emolumenta laudarent: *Saxo* venas metallicas, *Bauarus* vrbes; *Palatinus* frugum vinique prouentum: ipse suæ quoque ditionis laudes prædicare iussus: *nil est*, inquit, *quod prædicem: sed vnum hoc scio: me in sinu cuiuslibet subditi mei sub dio in vtramuis aurem posse dormire.* Tum reliqui id Principes suis facultatibus prætulerunt.

MAV-

MAVRITIVS LANDGRAVIVS HASSIÆ, COMES CATTIMELIBOC:



VExilla diuaricatim posita, quorũ è medio depẽdet clepsammidiũ superne serto ex palmæ lauruſque foliis addito, cui inſcriptum : CONSILIO ET VIRTVTE. *Duo belli rectè gerendi*

adminicula consilium & virtus, quæ si opportune circumspecteque adhibeantur, non dubia victoriæ spes erit. Parua enim, vt disertissimus inquit Romanorum, sunt arma foris, nisi sit consilium domi. Et Latinus Historicus. *Plura in summa fortuna auspicijs, & consiliis, quam telis & manibus geri, omnium temporum euentus docuit.*

CHRI-

CHRISTOPHORVS MARCHIO
BADENSIS ET HOCHBERGEN.



IN palude typha, quam pluuiæ tempestatesque cœlitus impetunt cum noemate practico: TEMPESTATI PARENDVM. *Symbolum principem cordatum arguit, quo indicatur, multa in hominum priuata & publica vita eiusmodi accidere, quibus*

bus ſi repugnare pertinaciter velis, contra ſtimulum calces obieceris, & cum ratione inſanieris. Placet Euripideum illud:

δεινῆς ἀνάγκης πάντα δουλοῦται θεός.



EDVAR-

EDVARDVS FORTVNATVS
MARCHIO BADENSIS ET Hochbergen.



LAurus solo implãtata, radiisq; solaribus illustrata adiecta epigraphe: NŌ ALITER. *Repræsẽtat auctor symboli, virtutis decus in luce, vt lauri virorẽ ad Solem apparere & conspici.* Nescit enim latere virtus,

multo minus ac Sol in meridie. Quod pulcre Tragœdus Græcus:

ἀρετὴ γὰρ, κἂν θάνῃ τις, οὐκ ἀπόλλυται:
τῇ δ' οὐκ ἔτ' οὖσῃ σώματος: κακοῖσι δὲ
ἅπαντα φροῦδα σὺν θανόντ', ὑπὸ χθονός.

GEOR-

GEORGIVS FRIDERICVS MARCHIO BADENSIS ET HOCHburgen.



CAluaries ſuppoſitis duabus tibiis cum inſcriptione: PVLVIS ET VMBRA SVMVS: *Symbolo hoc in ſacris iuxta ac profanis trito Princeps informem mortis formam in adſpectum producit mortalibus, do-*

cetque, hominem ita viuere debere, ne fragilitatis & vanitatis vitæ humanæ memoriam vnquam deponat. Monuit idem Seneca vbi inquit: *Nihil æque tibi proficit ad tempernantiam omnium rerum quam frequens cogitatio breuis ætatis huius & incerti: Quicquid ergo facies, respice ad mortem.* Exemplum illustre huius moniti superioris seculi fuit Maximilianus I. Cæsar, qui feretrũ per quinquennium & amplius secũ circumduxit, in quod corpus eius exanime, prout iusserat, postea conditum.

FRIDE-

IOAN. FRIDERICVS DVX POMERANIÆ, CASSVBIÆ, Vand. Rug. Stetini.



ARmorum variæ ſpecies cũ inſcriptione: MVNDVS EST MVNDVS. *Symboli ſenſus obuiam eſt omnibus. Manet nempe eadem mundi facies, nec geritur quic-*

quam

quam dicitur ve, aut scribitur; quod non gestũ, dictum, scriptum ve sit prius. Saltatur eadẽ semper Tragœdia mutatis duntaxat personis. Hoc apparatus armorum veterum iuxta & nouorum notat.

CHRI-

CHRISTIANVS PRINCEPS ANHALTINVS, ASCANIÆ Comes &c.



ENsis erectus cum epigraphe: EX HOC IN HOC. *Præ se videtur Princeps hoc ferre : de bello alio in aliud se abduci ferrique: sicut vitæ humanæ est ratio : vt ex vno in*

aliud

aliud succedanea mutatione transeat periculum: sicut sæpe fit iuxta illud Græcorum prouerbium:

καπνὸν φεύγων εἰς τὸ πῦρ περιέπεσεν.

H.e. *fugiens fumum incidit in ignem.*

IDEM

IDEM.



DVæ columnę, ignis vna, nubis altera ſpeciem præ ſe ferens; quarum vni Luna, alteri Sol imminet, circũquaque micantibus ſtellis cum epigraphe:

HIS DVCIBVS. *Alludit forte Princeps pius ad sacram illam in pentateucho descriptam historiam hoc sensu:* Quemadmodum populus Israeliticus ducibus duabus eiusmodi columnis per mare erythreũ in terrã promissam traductus fuit: ita & se per huius mundi pelagus in æternam vitã, cuius typus Cananæa illa terra fuit, fauore numinis, cuius præsentiam colũnæ firmarunt, cunctisq; adspirantibus astris traductum iri. Nam *qui Deum fautorem habet, ei creaturæ omnes fauent.*

IDEM.

IDEM.



MAgnes ferro incluſus, aliud ferrũ attrahens cum inſcriptione : VIS MAXIMA IVNCTIS. *Symbolum vt clarum eſt, ita verum.* Nam vt habet Græcorum prouerbium.

ἀρείη ξυμφερὴ κρείσων

Innuitur dubio procul, coniunctionem fœderibus factam Reipubl. præsidio esse firmo, modo sincere ac constãter. Sæpe enim illud verificatur magni quondam Saxoniæ Principis: *Bonum est facere fœdera, sed væ illi, qui seruat.*



HEN-

HENRICVS DVX LIGNICENSIS ET BREGENSIS.



VItis pedata, quę circa perticam vol uitur, ſupraque radians Sol, cum tali ſymbolo : DVM VOLVITVR ISTE. *Symbolo iſto benevolentiam ſpondet ſuis perẽ naturam: idq; vere.* Laudabilius enim nil

est, quam quod delectu habito semel di lexeris, in eo perseuerare affectu, & Principis propria virtus suos nosse, suos fouisse.



GVIL-

GVILHELMVS PRINCEPS VRANIÆ, COMES NASSOuiæ.



Populus in meditullio posita cũ hemistichio: AVDACES FORTVNA IVVAT. *Per populũ arborẽ aquaticã depingit Selandiæ & Holandiæ populũ vndiq; cinctũ aquis, cuius*

ſtudium & favor animum atque calcar Principi addit ad vindicandam libertatem, quod conatus ipſius ſatis declarauit.

Populus arbor fuit antiquis *hieroglyphicum temporis*, ideo, quod ea arbor ſit bicoloribus foliis prædita, quæ præcipuas temporis partes diem ac noctem repræſentare videntur.

MAV-

IDEM.



TRuncus mali punicæ vno surculo suppullulante cum lemmate: TANDEM FIT SVRCVLVS ARBOR. *Emblema & symbolum ei additum historiæ declarant. Pater* enim *mystæ à sicario quodam Burgundo summisso globo sclopeti traiectus obyt, relicto cum cæteris liberis filio*

filio hoc, adoleſcẽtiæ annos iam ingreſſo. Hinc ſumtum ſymbolum, quo indicat heros, ex ſurculo, h. e. paruo tum adhuc, tandem fieri arborem, potentem intelligе, imperiique capacem, qui paternæ necis aliquando ſit vindex iuſtiſſime futurus. Id quod nunc per aliquot annos in Belgio ſpecimine non vno ſat pulcre probatum iuit.

Mali punicæ fructum granorum numerositate refertum delineari aiũt omnẽ *turbam credentium*, in eccleſiæ gremio vno quaſi cortice contentam. Et *indicium* quoque erat malum id *populorum gentiumque variarum* vno collegio congregatarum.

CARO

CAROLVS COMES MANSFELDEN. IMPERII PRINCEPS.



COrnu copię diuaricatim iunctum, quod medium transit sceptrum, sapraque id corona imminet cum hemistichio symbolico: PRECIVM NON VILE LABORVM *Hieroglypho ostendit, virtutis*

tuis gloriæq; radicem veram ex salute Reipublicæ manu forti adserta enasci. Salus enim populi finis est omnium, & esse debet, quos Principes suscipiunt, laborum.



IOAN.

IOANNES DE ZAMOISCIO REGNI POL. SVPR. CANCELLARIUS & exercit. dux.



DVæ coronę laurea vna, altera quernea, nexu depẽdentes mutuo, inq; VTRAQVE CIVIS subscriptum: *Hieglypton desumtum ex veterum Romanorum consuetudine, quippe apud quos de triumphan-*

triumphatis hostibus laurea: de seruato autem ciue querneatribuebatur corona. Vere sibi vir fortissimus non minus sæpe fugati hostis, quam asserti seruatiq; ciuis laudem vno ore atque animo acclamante septentrionis regno assumit.



CARO.

CAROLVS COMES IN ARNBERG.



NAuis in patenti pelago, velis plenis decurrẽs sine remis inscriptione apposita: TEMPORE PERFICITVR. *Mystica interpretatio certa est: quemadmodũ nauis ad portum industria assidua; ita omnia*

in Reipublicæ succepta gubernatione, ad euentum temporis successu ac studio pertinaci atque consilio perduci.

LAZA-

LAZARVS A SCHVVENDI BARO DE HOHENLANDSberg.



AEtna vndiquaq; flammas euomẽs ventis ſeptem circumcirca inflãtibus cum epigraphe: DVRAT ET LVCET *Vt Aetna mons ille in Sicilia decantatus, & ignem late fundit, & tamen in hodiernum*

vsque diem durat: ita & virtus, atque masculus animus etiam in rebus aduersis non opprimitur, etiamsi prematur, vt iucunde habet senarius Græcus:

ἀυταῖς ἐν ταῖς δυστυκίαις λάμπει τὸ καλὸν.

Vide hac de re Philosophum in Nicomachicis cap. 12. lib. *1.*

J. A. Kowalski.
1826. r.

BIBL. Z. N. IM. OSSOLINSKICH
BIBL. ZN. O

IOAN-

